materia adeſt) vivunt. Hyeme autem, cùm nivibus illic altiſſi- A mis univerſa teguntur, feras à nivibus deprehenſas, religatis ad aſſerem pedibus (quò illis lapſus ex montibus facilis ſit, nec periculoſus, hinc atque illinc ſeſe baculis gubernantibus) perſequentes, telis eminùs confoſſas, ad antra ſua comportant. *Idem*.

Braſilienſes cùm piſcari volunt, alii remis lintrem agunt, alii verò mare fuſtibus verberant, & piſces exterrent. Piſces attoniti ad ſummam aquam enatant. Tum qui ad eam rem parati ſunt cucurbitas aridas, & exinanitas ingentis magnitudinis ſub fluctibus oppoſitas habent, in quas piſces ſponte ſubeunt. *Oſor. l.2. rer. Em.*

Murileguli, muricum piſcatores, ei operæ in perpetuum ſic addicti, ut ad munus aliud aſpirare non poſſint.

Phœnicum laus peculiaris in navigandi præſtantia, & purpurarum piſcatu, quando Tyriam præſtare cæteris purpuram perhibent. *Cælius lib. 18. c. 34. A.L.*

Piſcator quidam uniones piſcans, à cane marino devoratur. ☞ *Vide Tit. Gemmarum copia.*

Incolæ, qui in anguſtiis Azaniis Arabici ſinus habitant, Æthiopici coloris ſunt, & tuguria palmarum foliis intexta B inhabitant, præcipuamque piſcationi operam impendunt, ſic ut plerumque urinantes conchas margaritarum in profundo legant. *Jovius lib. 37. Hiſt.*

FORMÆ RESPECTU. Huc Venatio
INGENIOSA. V. G.
Elephantorum.

Elephantes qua arte tum ab aliis, tum præſertim à Troglodytis Æthiopiæ conterminis capiuntur, *pete ex Plin. lib. 8. cap. 8.* De ea re ſic quoque *Diod. lib. 3. cap. 3.* Multos unà incedentes non aggrediuntur, omni ſpe vincendi remota. Singulis iniiciunt manus. Cùm incedens beſtia arbori appropinquat, in qua ſpeculator occultus latet, ex ea deſiliens, manibus apprehenſa cauda, pedibuſque ad dextrum femur oppoſitis, ſecuri, quæ ex humero pendet, levi, ut unica manu tractari queat, & acie acutiſſima, dextra manu apprehenſa, nervos dextri poplitis crebris ictibus amputat: ſiniſtra manu regens agile corpus, belluæ conatus magna velocitate effugit. Nonnulli elephantos arte ſuperant. Conſuevit hoc animal, cùm à C paſcuis plenum redit, dormitum proficiſci, natura plurimum à reliquis quadrupedibus diverſa. Non enim genu corpus flecti ad terram poteſt, ſed arbori hærens dormit. Arborem elephantis adhæſione tum attritam, tum ſorde plenam advertentes incolæ juxta humum ſecant, ut tamen non niſi impulſa cadat. Deinde ſui acceſſus veſtigia ad ea loca delent, ſubitò abeuntes, priuſquam beſtia ad ſomnum redeat. Elephas veſperi cibo plenus ad notum cubile profectus, omnique mole ſectæ hærens arbori ſtatim unà cum ea ad terram proſternitur. Reſupinus tota nocte jacet, cùm ſe erigere nequeat. Æthiopes die ad locum accedentes abſque periculo beſtiam occidunt, tabernaculiſque ibidem erectis moram trahunt, uſque quod animal ſit abſumptum. *Diod. l. 3. c. 3. Bibl.*

Elephantum venatio in India hoc modo fit. Locum aliquem purgatum quatuor, aut quinque ſtadiorum profunda foſſa circundant: tum ingreſſum ponte anguſtiſſimo jungunt: deinde tres, quatuorve elephantes fœminas ex manſuetis immittunt; ipſi in tuguriis occulti inſidiantur: per diem ſylveſtres non accedunt. Nocte autem ſigillatim introeunt: quibus ingreſſis, venatores clam aditum occludunt. Poſteà nonnul- D los ex domeſticis creatoribus fortiſſimos inducentes, cum illis pugnant ſimul etiam fame eos macerant. Cùm verò jam defeſſi fuerint aurigarum audaciſſimi clàm deſcendentes, quiſque ſui elephantis uterum ſubeunt, atque hinc ſubitò ſylveſtrium uterum ſubeuntes, compedes illis iniiciunt. Quo facto, domeſticos exhortantur, ut vinctos verberent, quouſque in terram cadant. Poſtquam ceciderint, bovillis loris eorum colla cùm domeſticis alligant: & ne aſcenſores excutere poſſint, colla circundantes, in cæſuris vincula imponunt, ut præ dolore vinculis cedant, & quietem agant. *Strabo lib. 15.*

Apud Indos elephanti capiuntur hoc modo. Cinguntur eorum paſcua ducentis hominum millibus, eaque paulatim in orbem contrahuntur: donec tandem in anguſtum coacti, effugere non poſſint. Ita in Peguæ regno, aliquando quatuor millia Elephantorum, præter alias feras, ſimul capta ſcribitur. Capiuntur & hac arte. Emittuntur in ſylvas, manſuetæ Elephantes fœminæ, monitæ, ne congreſſum admittant, niſi prius ad ſtabula reverſæ ſint. Has alii, mares præſertim continuò ſubſequuntur, uſque ad ſtabula: ubi tum abeuntibus mox fœminis, facilè concluduntur, & domantur. Hac verò ratione domantur. Juniores nimirum verberibus, objurgationibus, & fame, interdum etiam beneficiis. Majores ædibus incluſis, per E feneſtras ſpiculis petuntur, donec jam feſſi, vulneribus, & fame propè ſint enecti. Tum blandis verbis, & promiſſis, ad manſuetudinem pelliciuntur, procumbenteſque rectorum juſſu, lavantur, inunguntur oleo, & cibo reficiuntur. Deinde ſingulis propè momentis interrogantur, qui valeant, quid petant. Sic paulatim manſueſcunt. *Joan. Metellus.*

Leonum.

Leones capere, ardui erat quondam operis, laboriſque maximi. Principatu Claudii caſus rationem docuit, pudendam penè talis feræ nomine, Paſtoris Getuli ſago contra ingruentis impetum objecto: quòd ſpectaculum in arenam protinus translatum eſt, vix credibili modo torpeſcente tanta illa feritate, quamvis levi injectu operto capite ita ut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis conſtat in oculis. Quo minus mirum ſit, à Lyſimacho Alexandri juſſu ſimul incluſo ſtrangulatum leonem. *Plin. lib. 8. c. 16.*

Biſontium.

Biſontes Pæonici tauri belluarum omnium vivi difficillimè F capiuntur. Nullæ enim ſunt adeò validæ plagæ, quæ irruentis feræ impetum ſuſtineant. Ejus venatio ita comparatur. Supinum deligunt locum, & in convallem declivem: eum prævalido ſepto undique muniunt: clivum deinde recentibus boum coriis inſternunt: recentium ſi non ſuppeditarit copia, arida aſperſione olei lubricant. Ibi in equis exercitatiſſimi homines Biſontes intra illum ambitum agunt: qui per uncta coria delapſi in præceps ad imam uſque planitiem devolvuntur, illic ad quartum, aut quintum ad ſummum diem neglecti relinquuntur. Tum laſſitudine, & fame debilitati, cadentibus jam animis facilè conficiuntur. Sunt qui ad eos manſuefaciendos artem adhibeant, & jacientibus adhuc pineæ nucis nucleos interioribus exemptis teſtulis apponunt. Alium enim cibum nullum bellua tunc appeteret. Poſtremò vinculis diſtrictos abigunt. *Pauſ. in Phocicis.*

Simiarum.

Simiis venatione capiendis ars ex belluæ ipſius natura excogitata eſt Indis. Sunt enim rerum, quaſcunque fieri viderint, imitatrices. Cùmque valido corpore, & animi ſagacitate præſtent, haud facilè vi capi poſſunt. Igitur è venatorum G turba quiſpiam melle ſibi oculos perungere, alius, belluis hæc omnia videntibus, calciamenta ſibi induere, nonnulli alii ſpecula capitibus ſolent applicare. Calciamentis innectuntur laquei, atque ita ea deſcendentes relinquunt. Pro melle viſcum ſupponunt, & ſpeculis adiiciunt funes, quibus attrahi poſſint. Simiæ, poſt venatorum abitum, conantur ea, quæ viderunt facere & ipſæ, ſed fruſtra. Cilia enim viſco agglutinantur, pedeſque laqueis impediti, & corpora dicta remanent. *Diod. l. 17.*

Avium.

Otis avis in Libya aucupium eſt hujuſmodi. Cùm maximè imitari ſtudeat Otus quodcunque hominem facere viderit, ea facit omnia, quæ vidit Venatores facientes. Iſti verò è regione coram illo ſtantes oculos pharmaco ſibi ungunt, aliaque pharmaca tenacia parant oculorum, ac ciliorum, quæ non longè ab ipſo in exiguis vaſculis deponunt. Cùm aſpexerit igitur Otus hos ſe ungentes, pharmacum & ipſe capit, & capitur. *Athen. lib. 9. cap. 14.*

Capiuntur perdices multis modis, uno tamen frequentiore in terris Aquilonaribus, ut venator ſerpat ſub cute vaccina H in terra: quem ſemina ſpargentem perdices accedunt ſecurè, donec retibus involvantur circumquaque in circuitu ordinatis. *Olaus l. 19. c. 4. Sept. Reg.*

Inſubres grues ita capiunt. Sagittarius ab equi latere ſeſe occultans, equum agit ſenſim, donec gruibus ſecurè paſcentibus, quando equum ſine ſeſſore vident, vicinior factus, ſagittis eas conficit. Eadem arte anſeres, & olores excipiuntur. *Bern. Saccus l. 4. Ticinenſ. hiſtor.*

AQUATILIUM.

Crocodilos capiendi cum ſint complura, & multiplicia genera apud Ægyptios, unum tantùm hoc, mihi quod maximè dignum relatu videtur, puto ſcribendum. Ubi tergum ſuillum hamo circundatum, ad illiciendum crocodilum, pertulit in medio fluminis venator, ipſe ad ora fluminis porcellum, quem vivum tenet, verberat. Cujus vocem Crocodilus audiens, ſecundùm illum tendit, nactuſque tergum devorat. Tum verò trahunt. Et poſteàquam attractus ad terram eſt, ante omnia ejus oculos venator cœno opplet. Hoc acto, cætera facilè obtinet, alioqui cùm labore adepturus. *Herod. lib. 2.*

In provincia Narbonenſi Delphinorum opera quomodo A mugiles piſcentur, *Pete ex Plinii l. 9. c. 8.*

Anguillarum piſcatores aquam turbidam faciunt, ut ſuffocentur: habent enim branchias tenues, quæ facillimè turbida aqua obturentur. Per hyemem etiam cum aqua ventorum impetu perturbatur, ſæpius moriuntur. *Ariſtob. in Equitib.* Paſſus es id quod ii etiam, qui anguillas venantur: nam ſi ſtagnum conſtiterit, nihil capiunt: at ſi cænum ſurſum, deorſumque vertatur, tum capiunt: ſic & tu lucraris, ubi civitatem perturbas. *Ath. l. 7. c. 17.*

Piſcatores Anthiæ piſcis apud Chelidonias Aſiæ inſulas conciliant ſibi unum piſcem ejus generis, quo reliquos capiant. Nulli enim omnino capi poſſunt, niſi unum ex ipſo genere piſcator ſibi longa intentione, atque diligenti conciliaverit, quo veluti duce ad capturam aliorum uti poſſit. *Plin. lib. 9. cap. 59.*

Apud Septentrionales phocas ſic capiunt. Piſcator mentita pelle nigra, cum longa haſta ferro hamata, ſuper glacie curvatus jacet, mugituque vitulum vocat, qui mox accedit, pu- B tans novam ſuſcipere conjugem, propria interfecta: eſt enim (ut *Albertus* refert) ſuper omnes belluas crudelior uxoricida, ut unam alteri ſuperinducat, donec ab aliqua earum fuerit interemptus. At ſpiculum per haſtam immiſſum manet in corpore, donec debilitata bellua ex ſuſcepto vulnere, per funem attrahatur. *Olaus lib. 5. cap. 5. Sept. reg.*

ROBUSTA.

☞ *Conſule Tit. Fortitudinis.*

Orca in Gaditano Oceano à Claudio Imp. oppugnata. ☞ *Vide Tit. Fortitudo contra belluas.*

FINIS RESPECTU CUR.
Venari ſcilicet cauſa.

VICTUS.

Veteres venatu ferè vivebant, & arcu victum ſibi parabant, hoc eſt, ſagittandi arte, Eapropter Βίος vita ipſa fuit dicta, ἀπὸ τοῦ βιοῦ, hoc eſt, ab arcu, ſive ἀπὸ τῆς βίας, à violentia, contraria nimirum primis illis, qui carnes non guſtabant, ſed terræ fructibus contenti erant. *Euſtat. Iliad. 8.* Eam fortè ob cauſam Nemrod in ſacris Venator fortis dicitur. Mutati mores victus ferè mutationem ſequuntur.

C RELAXATIONIS ANIMI.

ALPHONSUS Rex Neapolitanus, cùm aliquando relaxare animum à negotiis vellet, venatione uſus eſt: quia non ſolùm adoleſcentes, ſed grandiores etiam natu, militiæ labores tolerare pulcherrimè diſcunt. *Panorm. l. de reb. geſtis Alponſi.*

CASTITATIS.

Hippolytum ferunt, Theſei filium, ſeſe in conſectandis feris exercuiſſe, ſtudio virginitatis, & otii vitandi cauſa.

Melanionem quendam ferunt odio mulierum, & ſervandæ caſtitatis deſiderio conſectandis feris ſe totum devoviſſe, nec unquam à ſolitaria iſta vita revocari potuiſſe. *Raviſius.*

AMORIS.

Horion feras ſponſæ offerens, inſulam cicurem reddit. ☞ *Vide Titulum Excæcatorum.*

GLORIÆ.

CN. POMPEJUS, victo in Africa Domitio, utens ſecunda fortuna, & exercitus virtute, Numidiam iniit, multorumque dierum iter provectus, omnibus, quà tranſiit, ſubjugatis: & Romani Imperii timore, qui apud barbaros jam obliteratus erat, denuò formato, & terribili reddito: nec feras ait, Africam in- D colentes ignaras virtutis, & felicitatis Romanæ relinquendas. Itaque in leonum, & elephantorum venationem paucos inſumpſit dies. *Plut. in Pompejo.*

Apud *Horat. l. 1. Epiſt.* Gargiltus quidam ambitioſus homo,

—— Mane plagas, venabula, ſervos.
Differtum tranſire forum, populumque jubebat,
Unus & è multis populo ſpectante referret
Emptum mulus aprum.

ACCIDENTIA VENATIONIS,
EAMQUE COMITANTIA.
Ubi etiam Dei vindicta adversùs venatores intempeſtivos.
Cujuſmodi eſt
FAVOR NUMINIS.

In Icaro inſula Dianæ templum fuit: cùmque nimio plus ſcaterent ibi agreſtes, & præpingues capræ cum dorcadibus ac leporibus, ſi venari cupiens à Dea rei pontificium eſſet comprecatus, pergens indè præda onuſtus revertebatur, captis, quæ concupiſſet. Quòd ſi petere ſuperſediſſet, inanis prorſum fiebat venatio, inſuper & in eum expetebant audacioris conatus pœnæ. *Cælius lib. 23. cap. 30. antiq. lect.*

Præcipuę admirationis apud Perſas colitur Hercules in monte, cui nomen Sambulos, qui per quietem Sacerdos mone- E re, dicitur, ut equos venatu ſiſtant ornatos, qui cum per nemora, & ſaltus diù vagati fuerint, nullo rectore, nocte redeunt ad ſtabula vacuis pharetris: mox omnes ſaltus feris confoſſis conſtratos reperiunt, ita ut multo venatu incolæ ditentur. *Alex. lib. 2. cap. 14.*

VINDICTA NUMINIS.

☞ *Vide infra Partus deformitas, & Mors.*

PIETAS.

Euſtachius magiſter equitum Trajani, in venatione per cervum ad Chriſtum convertitur. ☞ *Vide Tit. Eleemoſynarum.*

BOGORIS Bulgarorum princeps venationibus deditus, Chriſtianus fit. ☞ *Vide Tit. Religionis diſcipuli.*

IMPIETAS CIRCA OFFICIUM
DIVINUM. CÆDES.

Cephalus Athenienſis, quem poetæ fabulantur ab Aurora adamatum, Procrin uxorem in arbuſto latentem zelotypam, jaculo imprudens interfecit. *Ovid. in Metam.* F

PAUPERTAS.

Actæon Ariſtæi Authones F. cum meridiano æſtu, & labore defatigatus, frigoris captandi cauſa in lucum denſiſſimum ingreſſus eſſet. Dianam cum comitibus nudam ſeſe lavantem vidit. Illa lymphis aſperſum in cervum commutavit. A propriis igitur canibus laceratus eſt. Accidit hoc multis etiamnum hodie. Dum dominis placere volunt, patrimonium omne in venationes, & conſimiles nugas impendunt, atque adeò ad extremum à ſuiſmet canibus lacerantur, & decoquunt. *Cognatus lib. 2. narrat. ex Ovid. Metam.*

REGNI AMISSIO.

SUATACOPUS ultimus rex Moravorum venationis occaſione regno excidit. ☞ *Vide Tit. templorum violatorum religioſa correctio.*

ERROR.

Antiochus ille, qui bis exercitum duxit adversùs Perſas, cùm in venatu quodam feram inſequeretur, aberrans ab amicis, ac famulis, in caſam pauperum quorundam, quibus ignotus erat, introiit: atque inter cœnam injecta mentione regis, audivit quòd cæterà quidem probus eſſet, ſed pleraſque functiones G mandaret amicis improbis. Ipſe eorum facta connivens, tum quod immodico venandi ſtudio frequenter neceſſaria negligeret. Ad hæc tum temporis nihil reſpondit, nec quis eſſet, prodidit. Verùm ubi diluculo ſatellites veniſſent ad caſam, jamque agnoſceretur, allata purpura ſimul cum diademate: Age, inquit, ex quo vos indui, heri primum vera de meipſo audivi. Nam verè hoc ſtudio eſt his, qui vivunt in aulis Principum, ne quid audiant niſi blandum auribus. *Plut. in Reg. apopht.*

Manſor rex Barbarus in venatione ad piſcatorem divertit. ☞ *Vide Tit. Gratitudinis pro hoſpitalitate.*

Conradus Imp. in venatione aberrans apud plebanum divertit. ☞ *Vide Tit. Gratitud. pro Hoſpital.*

De Maximiliano I. Cæſ. qui venando ad præruptum quendam locum devenerat. ☞ *Quære in loco de Euchariſtia.*

INSANIA. FUROR.

Iſaacius Comnenus Imp. ex venatione apri in morbum incidit. ☞ *Vide Tit. Oſtenta mortis.*

MORS.

Adonis Cynaræ ex Myrrha filius, à Venere amatus, dum venaretur, ab apro interfectus eſt. H

Orion venator (ut fabulantur poetæ) cùm viribus fidens gloriaretur nullam eſſe feram, quam non conficeret: diis inſolens verbum ulciſcentibus, contigit, ut terra ſcorpionem pareret, à quo vulneratus occubuit.

Nicias venator dum venandi ſtudio feras immiſſis canibus præceps inſectatur, in fornacem carbonariam decidit, ubi canibus circumgannientibus, & rapta veſte conantibus dominum reducere, crematus eſt. *Cælius lib. 23. c. 23. q. 27. antiq. Lect.*

* Ludovicus Bavarus Imperator venando, & concitatius equitando apoplexia correptus expiravit: à cibo cùm veneni ſuſpicione augeretur, putavit venatione, atque agitatione periculo ſe occurſurum; at contrà evenit: nam urſum inſequens apoplexia eſt correptus, & equo lapſus expiravit. *Albert. Crantz. l. 9. c. 22.*

* Joannes Maurus Imperator Conſtantinopolitanus aprum arcu interempturus ſagitta venenata, vulneravit ſuam ipſius manum: unde intra paucos dies occubuit. *Bapt. Fulgoſ. lib. 9.*

* Iſaacius Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus

cum circa novam urbem venaretur, aper terribili ſpecie ad A mare properans apparuit. Eum cùm inſectaretur, ille in mare incidens diſparuit. Imp. Turbatur equo decidit, ſpuma circà os apparente. Poſt aliquandiù ægrotans, ad deſperationem redactus, caput radi curavit, & monaſticum habitum aſſumens, privatus poſteà vixit, Conſtantino duci tradito imperio. *Michael Glycas 4.p. Annal. in Iſaac. Comneno, & Jo. Zonar. in Annalib.*

* Grinoaldus Longobardorum Rex, nono die poſteàquam medicis curantibus in lacerto venam aperuerat, cùm arcu columbam peteret, aperta repentè vena tantum effudit ſanguinis, ut cum ſanguine vitam quoque ageret. *Fulgoſ. l.9.c.12. Sigebert. in Cro.*

* Dum arcu Calojoannes Imperator Conſtantinopolitanus in Cilicia adverſus aprum uteretur, adeò magnis viribus arcum contraxit, ut ſagitta manum, qua tenebat arcum, traiiceret: quæ cùm veneno, ut in venatione moris eſt, ſpiculum illitum haberet, paucis diebus interiit, relicto Emmanuele filio ſucceſſore anno 1130. *Idem Fulgoſ. ibid.*

* VENATIO SPIRITUALIS.

B *Theodoretus* Cyrthi Epiſcopus ſcribit *in vita Macedonii* cognomento *Crithophagi*, ſic autem dicti, quòd hordeaceo pane veſceretur, Ducem quendam militiæ, qui venatione delectabatur, montem venaturum aſcendiſſe, quem ſequebantur canes, milites, & quæcunque apta ſunt venationi. Cùm autem procul hominem vidiſſet, & quiſnam eſſet à domeſticis accepiſſet, confeſtim equo deſcendens, acceſſit, ac ſalutavit, rogavitque, ecquid illic ageret? Tu verò, inquit, cujus rei gratia huc te contuliſti? Ut feras venarer, ait ille. Et ego, reſpondit, meum Deum hic venor, & capere eum geſtio, & videre deſidero. Neque unquam ab hujuſmodi venationis genere deſiſtam. His dictis, Dux, admiratus virtutem ejus, abſceſſit. *In vita ejus apud Aloyſium Lipom. tom. 2.*

Huic non multum abſimile eſt, quod de Amadeo Sabaudiæ Duce, pauperes, quos ſingulis diebus ſuſtentare, ſuiſque manibus miniſtrare ſolebat, canes venaticos appellante quibus cœleſtem gloriam venabatur; eoſque in triclinio accumbentes exteris legatis oſtendente, in medium produximus *in Loco de Pauperibus*.

* Venditio.

Definitio, & Etymologia.

C Venditio definitur pactio mercis pro pretio. Sicuti è contra pactio pretii pro merce Emptio dicitur. Colligitur *ex l. 1. ff. de contrahenda emptione*. Ubi tria exiguntur, ad formam, ſive ſubſtantiam hujus contractus, merx, pretium, mutuus conſenſus. Merx eſt res quælibet vendibilis. Pretium eſt pecunia ſive nummus, inventus, ut ſit menſura omnium, quæ in contractus humanos veniunt. Ut docet *Ariſt. lib.5. Eth.c.5.* Conſenſus porrò perficit hunc contractum, neque enim requiritur ulterior traditio rei, aut pretii. Ut habetur *dicta l. & §.*

Quæ sub Venditionem cadant?

Venalia cenſentur omnia mobilia, & immobilia, actiones, & jura, quæ pecunia æſtimari, ac comparari ſolent. Item omnia bona præſentia, & futura, ſimul ſumpta. Hæc enim uno actu vendi poſſunt, etiamſi non poſſint donari, colligitur ex *l. ſtipulatio 61. §. de verb. obligat.* Hæreditas tamen, quæ delata non eſt, ſed expectatur ab homine vivente, vendi nequit, ut quæ ſit contra bonos mores, *l. de hæredit. vel act. vendita.*

Rerum Venalium Pretium.

D Pretia rerum venalium, vel imponuntur per Principem, aut Magiſtratum, qui conſideratis circumſtantiis, è quibus æſtimatio rerum pendet, ſtatuunt, quanti vendi debeant. Eſtque pretium legitimum, quaſi lege definitum.

Vel imponi ſolent communi hominum æſtimatione. Unde & vulgare dicitur, & naturale, quaſi à naturali prudentia conſtitutum, habetque ſuam latitudinem: ut docet *Scotus d.15.q.2. & alii DD.* Eſtque hoc pretium cum priori etiam juſtum.

Pretium autem vulgare eſt triplex: infimum ſeu pium, medium, ſummum, quod & rigoroſum vocatur. Porrò eæ res quæ legitimum, aut vulgare pretium non habent, ut gemmæ, aves exotica quævis, artefacta, & ſimilia; vendi poſſunt: juxta intelligentium, aut venditoris ipſius eaſdem bona fide æſtimantis etiam ad affectum ſuum, ut docet *Nau. c. 23. n.83. in Manuali*; æſtimationem.

Quibus autem caſibus liceat rem pluris vendere, quàm valeat vide apud Leſſium *l.2.c.21.dub.4.* & alios Summiſtas.

* RES VENDITÆ.
Ac primùm.

E

Homines Venditi.
Qui ſeipſos vendiderint.

Lege veteri cautum erat, ut Hebræus qui ſe ſua ſponte alteri tradere volebat in ſervum perpetuum, liberè id faceret: atque in ſignum perpetuæ ſervitutis, applicabat eum Herus ad oſtium, & poſtes domus ſuæ, ut ſignificaret, eum jugiter mancipari miniſterio, & domui heri ſui. Ita *Theodor.* quamvis *Tho. & Cajet.* id in ignominiam amiſſæ libertatis factum dicat.

S. Paulinus ſe vendi in ſervum voluit, ut filium viduæ, quem Vandali, qui regionem Campaniæ vaſtabant, ceperant, redimeret à ſervitute, eoque nomine ſe à pietatis officio commendabilem reddidit. *In vita apud Surium, & Breviar. Rom.*

Liberos.

Olim Hebræis licitum erat vendere filias ſuas in ſervas, ut patet *Exod.21.* hac tamen conditione, ut herus eam acciperet, aut filio traderet in uxorem, ſi non primariam, ſaltem ſecun- F dariam; alioquin dimitti debebat. Poſſe enim non emancipata proles liberè vendi à parentibus, juris naturæ habetur, cùm ſit velut pars, & fructus illorum proles.

Qua de causa liberi vendi possint.

Jus tamen Civile requirit certas conditiones, ut pater filium licitè vendat: ut patet *l.2. C. de patribus, qui filios diſtraxerunt.* Primò ut fiat propter nimiam paupertatem, & victus cauſa. Jus tamen naturæ aliam gravem neceſſitatem admittit. 2. Ut filius nondum ſit emancipatus. 3. Ut poſſit libertatem recuperare ſolvendo pretium, vel aliud mancipium offerendo. Denique patri id conceditur, non matri, quamvis jus naturæ utrique adſtipuletur.

Fratres.

Joseph Patriarcha à fratribus venditus fuit Iſmaelitis, quos vocat etiam Moyſes Madianitas: quia cùm eſſent ex poſteris Iſmaelis, habitabant circa Madiam; idque pretio viginti argenteorum, id eſt ſiclorum, quos conficere volunt ſummam 20. floren. Brabanticorum, quamvis alii cum Ribera, & Suarez velint argenteum ſolùm fuiſſe dimidium ſicli, adeòque venditum ſolum 10. flor. Brabanticis. *Gen. 37.* Suaſerat autem Judas eum vendi, timens ne à fratribus reliquis in ciſterna, in quam eum immiſerant, occideretur. Ubi notat Severianus aptè auctorem venditionis Joſeph fuiſſe Judam, quia per alium, nomine Judam vendendus etiam erat Chriſtus, cujus typus G erat Joſeph, quamvis hic ex benevolentia & pietate, ille ex avaritia, & ſacrilega intentione id fecerit.

Dominos.

Judas Iscariotes Chriſtum Dominum, ac magiſtrum ſuum poſt tot, tantaque beneficentiæ ſigna exhibita, triginta argenteis, Principibus Sacerdotum, ac Judæorum conſilio tradidit; pepigerat enim cum illis pridiè ante noctem cœnæ de pretio, nam conſtat illos unà cum Phariſæis jam conſilium iniiſſe, ut eum caperent. *Matth.c.26.*

Fuerunt hæretici Cajani, qui dicerent Judam laudandum propter hanc venditionem, ut qui eam fecerit ex zelo adjuvandi humanum genus, quòd per Chriſtum ſalvandum erat, qui proinde niſi proderetur, morti traditus non fuiſſet. Refert *Irenæus lib.1. cont. hæreſ. c. ult. Tertull. lib. de præſcript. c.47.* Cæterum impia eſt ea Judæ excuſatio: ut qui ob avaritiam quæ eum captivarat, ut damnum unguenti effuſi reſarciret, ad Dominum ſuum tradendum impellebatur, *D. Leo ſerm.9. de paſſione* ita loquitur. Impius Judas maluit eſſe miniſter diaboli, quam H Apoſtolus Chriſti, quem non timoris perturbatione deſeruit, ſed pecuniæ cupiditate diſtraxit.

Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum ſitit lucrum, pervenit ad laqueum: & tam ſtultè impius fuit, ut triginta argenteis, & Dominum venderet, & magiſtrum. Quamvis in hoc conſentiant omnes, Judam non tradidiſſe, ut occideretur, ſed ut in carcerem, aut exilium mitteretur, ne ultra populum commoveret. Unde poſteà intelligens Chriſtum ad mortem damnatum, pœnitentia ductus retulit 30. argenteos, ut narrat *Matth. c.27.*

Quoad valorem 30. argenteorum, ſupra quædam diximus, & videntur Judæi tanti Chriſtum emere voluiſſe quanti olim præcipiebatur pro ſervo, vel ancilla occiſis exſolvi, nempe 30. argenteorum, ſiclorum pretium. Et ad Joſeph veterem quod attinet, non decebat majoris vendi illum quàm Chriſtum, ſervum quàm Dominum: unde ille duntaxat XX. Chriſtus XXX. venditus fuit.

Quos

QUOSVIS ALIOS.

A ☞ *Quære Locum de Servitute, & Servis. Etiam videatur locus de Contractibus.*

Veneficium. Venefici.

*Definitio, & Etymologia.

Veneficium propriè dictum eſt maleficium venenatum, à quo venefici, & veneficæ appellantur, qui malis pharmacis, aut re alia venenata, etiamſi non ſit naturale venenum, hominibus, aut beſtiis nocent, officiendo illis ſive morbum infligendo, ſive mortem inferendo, Vvierus. & alii nonnulli Lutherani nullum agnoſcunt veneficium. Verùm agnoſcit illud. *S. Auguſt. l.10. de Civit. quod habes c. nec mirum, §. magi 26. quæſt.5. & ſerm. 207. de temp.* atque univerſa praxis orbis Chriſtiani illud admittit, ita ut nihil evidentius habeatur. Generaliùs tamen venefici dicuntur, qui veneno animantibus nocent. Quin eadem impietas etiam ſe extendit ad animata, putà fruges terræ, & alia ſata, ad inducendam ſteri- B litatem, & charitatem annonæ. Immò & ad morbos excitandos in animantibus, quæ iiſdem veſcuntur, vocant Græci veneficium φαρμακείαν: Hebræi *Caſcaph* faſcinavit.

* Modi Varii.

Veneficii maleficium contingere variis modis docet *Grillandus q.3. & 5.* vel enim introſumptione, vel applicatione exteriore per contractum perficitur. Eorum, quæ per intus ſumptionem fiunt, agnoſcit duos modos, nempè unum per cibum, aut potum, quando venena [ut plurimum] in pulverem trita iis immiſcent; alterum agnoſcit, quod fit per inunctionem, quando ad maleficiandum, inquit, ſive maſculus ſit, ſive fœmina dormientem, ſuis liquoribus, aquis, oleis, aut pinguedine, ſive aliis ſimilibus unctionibus plura, & diverſa venena continentibus inungunt; quandoque fœmora, quandoque autem ventrem, aut caput, guttur, pectus, coſtas, ſeu aliam partem corporis perſonæ maleficiandæ, quæ ſic dormiens nihil ſentit, & eſt tanta vis, & potentia iſtius unctionis, quod paulatim durante calore ipſius dormientis, ingreditur intus carnes, & vadit ad penetralia cordis viſcerum maleficiati: unde paulò poſt cau- C ſantur ingentes dolores in corpore ejus; cùm primùm ſcilicet maleficium, vel fractura [ut dicunt] tangit inteſtina maleficiati, illinc ſuccedunt maximi ululatus, & lamentationes tam crebræ

Addi debet tertius modus per inhalationem. Omnium enim peſſimum eſt veneficium iſtud. Nec enim humoris, vel craſſioris materiæ vehiculo indiget, quibus facilius occurritur: ſed ipſum tenuitate ſua, ore attractum citò ad cor ſe penetrat.

Et hæc cauſa, cur Agyrta ille inſignis veneficus, in quadam Italiæ civitate, cum alio ſuo Antagoniſta, de theriacæ contendens efficacia vicerit, alter venenum illi liquidum, quòd poterat efficaciſſimum, infuderat; cui ſumptione antidoti mox obviavit. Ipſe contra alterius hiare juſſi pyxidulam ori appoſuit; in qua buffo inerat vivus; tum ſemiclauſa, & ſæpiculè ſemiaperta velociter pyxidula, ingeſſit halitum virulentum, & brevi momento hominem confecit.

Ipſi etiam malefici interdum afflando vel inficiunt, vel necant. Narrat *Spreng. Mallei p.2. q.1. c.11.* mulierem quandam inter Breiſacum, & Friburgum cum vicina litigaſſe; mox cùm noctu ante oſtium domus aliquid ageret, ventum quendam calidum è domo Fœminæ alterius ex oppoſito habitantis in fa- D ciem ei inſufflaſſe, unde & ſubitò lepram contraxerit.

In Diœceſi eadem, & territorio Nigræ Silvæ, Maleficam dum à lictore ſtrui lignorum præparatæ imponeretur, & dixiſſet; En tibi à me mercedem; ſimul in vultum ejus inſufflaſſe: & ecce miſer operitur totus horrenda lepra, quæ paucorum dierum ſpatio eum pluribus adjunxit.

Horum veneficiorum inhalatoriorum veram cauſam *Delrio diſq. magic. quæſt.4. ſect.3.* reiicit in certum pactum, quod cum dæmone habent venefici. Eſt quidem venenorum aliquorum mira vis; quæ poſſint ſubitam lepram inducere, vel lethum: poſſetque dœmon antidota ſuis præſcribere, ipſique innoxii poſſent in alios peſtem transfundere; ſed id raró contingere putandum.

Hæc interius ſumpta, ſcribit *Grillandus* fieri per compoſitiones, & mixturas multiformium venenorum, quædam ex herbarum foliis, feſtucis aut radicibus, animalibus, piſcibus aut reptilibus venenoſis, lapidibus, & metallis, mixtura quam utilius ignorari; & interdum in pulveres, interdum in liquida, addo & in unguina reduci.

Idem addit alia eſſe extrinſeca, ut quæ ſolis verbis fiunt, in quibus ad ſignum conſtitutum omnia fiunt à dæmone. E Item quando latenter ſortilegia ſub certa quapiam forma compoſita chlamydi aſſuunt, vel in lecto abſcondunt maleficiandi, vel loco ſubterraneo fovea facta, aut ſub lumine oſtii, ſuper quo deſtruendus ſit tranſiturus. Quoſdam ait, capere reſidua eorum, quos volunt inficere; alios inhumare mortuos utique eorum carnibus, veſtitu, pinguedine, vel oſſibus, alios à ſuſpendioſis mutuare nonnulla.

Quod nec veteribus ignotum fuit. Nam *Orat. Epod. od.5.* de Canidia canit, ab ea infoſſum, & terra obrutum, poſt multas lancinationes inſignibus raptis ingenuum puerum, ut poſſet.

Longo bis, tervo mutatæ dapis
Inde mori ſpectaculo,
Cùm promineret ore? quantum extant aquæ
Suſpenſa mento corpora, [*en Infanticidium*]
Exerta vi medulla, & aridum jecur
Amoris eſſet poculum, [*en maleficium philtricum*]
Interminato cum ſemel fixo cibo
Intabuiſſent pupulæ.

Narrat *Villamontius* ſcelerum omnium ſceleſtiſſimum quid- F dam, Venetiis Maleficum fuiſſe, qui damnatorum in Triremibus animas emebat, promittens liberationem à tetria illa ſervitute pœnæ, & numerans decem aureos pro illorum anima, quàm chirographo proprio ſanguine notato vendebant, addicebantque dæmoni, & malefico, mox ne retractare poſſent, certo contactos veneno ſubito necabat. Addit auctor ſe interfuiſſe ſupplicio, quod de iſto ſumebatur, *l.1. Itinerar. c.33.* quis unquam talia vel fando audivit?

Andr. Thevetus l.7. Coſmogr. c.13. narrat, in Africæ oppido Guzola, Elzanam quendam ſpatio duorum annorum malis artibus plus quam octingentos homines interfeciſſe.

* Venenum.

Definitio, & Etymologia.

De veneno verò, & naturali, loquimur in præſenti. Eſtque venenum vocabulum medium, quòd tam in bonam quàm in malam partem uſurpatur, uti φάρμακον, apud Græcos. Qui igitur venenum dicit, inquit, *Cajus Juriſc. de v. ſignific.* G adiicere debet, utrùm bonum, an malum. Hodie tamen venenum non aliter, quàm in deteriorem partem ſumitur, pro eo quòd ſit naturæ corruptivum, & inimicum ſanitati, ac vitali facultati viventium. Itaque venena propria vocantur omnia illa, quæ corpora ſecundum naturam deſtruunt & depravant, ideòque deletoria à medicis dicuntur, ut colligitur ex *Plat. Dial.11. de legibus.*

Alii definiunt ſubſtantiam corporis humani deſtructivam, & corruptivam. Alii qualitatem ſubtilem, humanæ præcipuè naturæ interemptivam.

Veneni Differentiæ.

Venenum aliud eſt quod qualitate, totoque genere deletorium eſt: Aliud quod ſolùm quantitate nocet. *Ant. Portus l.3. de peſte c.4.*

Venenum aliud eſt calidum, aliud frigidum: calidum quaſi comburendo interficit, & citò quaſi aduſtum reddit locum morſus. Frigidum frigitando interficit cor, cùm vaporaliter ad cor defertur. *Alb. Magn. 7. de Animal. c.5.*

Venenum ſubtiliùs, citiùs penetrat, & necat, ſed faciliùs conſumitur, & medicinam recipit. *Ibid.*

Venenorum duæ ſunt ſpecies, ſecundùm duo principia ſua- H rum operationum: Una habet principium ſuæ operationis à qualitate activa, vel paſſiva, quæ in ipſo eſt: alia forma ſubſtantiali, & tota ſubſtantia ſuæ naturæ, & ſpeciei: Prima ſpecies quatuor modis operatur, aut corrodit putrefaciens ex acumine caloris in humido, ut lepus marinus: aut inflammat calefaciens ex calore convertente ad ſe humidum ſubtile, ut euphorbium: aut infrigidans ſtupefaciens ex frigiditate mortificativa tollente ſenſum, ut opium: aut oppilans vias anhelitus in corpore ex groſſitudine frigidæ ſubſtantiæ ſuæ, quæ acumen accidentale habet, ut plumbum hauſtum: efficiens à tota ſubſtantia eſt, ut gummi, nappelli, fel Leopardi, & hæc ſunt venena deteriora quàm priora. *Albert. Magn. de Animal. lib.25. c.1.*

Venena alia ſunt ſuper aliquod membrum operantia perniciem: quædam ſuper totum corpus. *Alb. Mag. de animal. lib.25. cap.1.*

Venenum quoddam in Achaja naſci ajunt, quod Pardalianches ab Angore dictum eſt, hoc venatores victimam aſpergunt,

& recedunt, cùm ab ipſis Panthera conſpicata fuerit, eà ve- A rò poſtquam id tetigerit, de more ſtercus hominis quærit, quocircà ſtercus Venatores in vaſe reponunt, ac ex aliqua arbore vas ſuſpendunt: fera inſiliens ibidem ad extremam defatigationem perveniens ab ipſis ſuperatur, & illorum præda efficitur. *Ariſt. de admir. aud. n.6.*

Venenum à Gallis toxicum dictum confici legitur, ideò adeò velocem interitum corporibus adferre ajunt, ut Galli venatores cum cervum, aut aliquod animal ſagitta transfixerunt, maxima cum feſtinatione accurrentes carnem infeſtam reſecent, ne reliquæ partes animalis veneno afficiantur: partim quidem cibi cauſa, partim ne animal putridum conficiatur. Alii tamen remedium toxico inveniri corticem roboris adfirmant. Alii alterum aliquod folium, quod corvacium appellant, cùm illi advertiſſent corvum venenum deguſtaſſe; languoreque affectum ad eum magno impetu advolare, ac illud poſtquam devoraſſet, à dolore quieviſſe. *Ariſt. de admir. aud. num.4.*

Venenum Scythicum, quo milites Scytharum ſagittas reſpergunt, ex vipera confici ajunt: reſervant enim viperas, quæ jam ſobolem procrearunt, ut apertum eſt, has capiunt, ac nonnullorum dierum ſpatio liqueſcere dimittunt, ac cum pu- B trefactæ idoneæ ſunt, univerſum hominis ſanguinem in olla effundentes intra ſterquilinia defodiendo operiunt, ac cum ſanguis putruerit, eam partem, quæ aquæ effigiem repræſentat, virulentæ ſaniei viperæ commiſcent, & lethalem veneni ſpeciem efficiunt. *Ariſt. de admir. aud. n.137.*

Venefici. Veneficæ.

☞ *Comprehendimus hìc omnes illos, qui vel incantationibus, maleficiiſve, vel naturalibus venenis, aliorum vitæ, aut fortunis inſidiantur. Exempla tamen pleraque veneficiorum adferri huc poſſunt ex loco de Magia.*

QUI PUTA.
MULIERES.

Fœminas ab initio ad veneficium fuiſſe procliviores viris, graviſſimi teſtantur auctores. Refert *Diodor. l.5. de Antiq. geſtis* Hecatem feminam omnium primùm aconitum inveniſſe, & ad venena mortifera conficienda ſummum ſtudium, ope- C ramque impendiſſe. Quin apud Romanos feminæ veneficiis primùm uſæ ſunt, ut teſtantur *Liv. lib. 8. & Val. lib.2. Tit. de Inſtit. Antiq.* & nonnihil D. Auguſt. *lib.3. de Civit. Dei, c.17. Plinius autem l.25. c.2.* ſcribit, ſcientiam fœminarum in veneficiis prævalere. Quid enim (ut ſubdit) non replevere fabulis Colchis Medea, aliæque? imprimiſque Italica Circe, diis etiam adſcripta? Vetus eſt proverbium de mulierum veneficiis, Θεσσαλικὴ γυνή, id eſt, Theſſala mulier: Suidæ memoratum, quo ſcilicet utimur in veneficas mulieres: quoniam ea gens, & præſertim feminæ, præ cæteris hoc nomine ſunt notatæ. *Quintil. lib.5. Orat. inſtit. Tit. de argumentis*: Latrocinium, inquit, facilius in viro, veneficium in fœmina credam.

Erichtho magna Theſſ. multis veneficiis famoſa. *Luc. l.6.*

Hos ſcelerum ritus, hęc dirę carmina gentis
Effera damnarat nimię pietatis Erichtho.

Canidia Neapolitana unguentaria, & venefica. *Horat. in Epod.* Canidia brevibus implicata viperis crines, & incomptum caput. Apud eundem Sagana, Veja, & Folia, nomina ſunt veneficarum, quæ Varum puerum prætextatum ſuis veneficiis incantarunt.

D Herodes Judæorum rex, deprehenſam in veneficio Doridem uxorem, matrem Antipatri, ſpoliatam multorum talentorum ornamentis, ejecit è regia. Repudiata etiam Pontificis filia, altera regis uxor, quaſi ſecretorum horum omnium particeps. *Flavius Joſephus lib.17. cap.6. Antiq.*

Dipſas vetula venefica apud *Ovid. l.3. Elegiarum*:

Eſt quædam (quicunque volet cognoſcere levam,
Audiat) eſt quædam nomine Dipſas anus.

Mycale venefica apud *Ovid. lib.12. Metamorph.*

Mater erat Mycale, quam deduxiſſe canendo
Sæpe reluctantis conſtabat cornua Lunæ.

☞ *Vide, veneficii Pęna.*

MEDICI.

Cyneas (aliis Timochares dicitur, aliis Nicias) Medicus Pyrrhi, clam litteras ad Senatum Romanum ſcripſerat, quibus pecunias petebat, & pollicebatur, ſe Pyrrhum pharmacis interempturum. At illi promiſſionem hanc repudiarunt. Etenim Romani virtute fortes eſſe didicerunt, non technis, calliditate, vel inſidiis hoſtem debellare. Sed & Cyneæ conſilium, ſententiamque Pyrrho regi aperuerunt. *Æl. l.12. de Var. hiſt.* E

Fridancus Medicus veneno ſuſtulit Guntherum Comitem à Schuartzenburg, Germanorum Regem.

Vide Tit. Dignitate, & magiſtratu quocunque alios aſtutè privare.

Sedechias Judæus Carolum Calvum Francorum Regem, cujus medicus erat, veneno ſuſtulit. *Ritius l.1. de Reg. Franc.*

Hammon Judæus medicus Bajazetem II. Turcarum Imp. veneno tollit. ☞ *Vide Tit. Regnandi libido ambitioſa.*

QUOS VENENO PETIERINT.
Videlicet.

REGES.

Gyge famula Pariſatis, Cyri matris, veneficiorum perita, & propterea tandem morte affecta, ſublata è medio Statira Artaxerxis uxore. ☞ *Vide Tit. Perfidiæ erga affines quoslibet.*

Ajunt, Antipatrum, quem in Europa ducem Alexander Magnus reliquerat, veniſſe in magnas controverſias cum regis matre Olympiade. Ac primò quòd Alexandrum expoſtulationibus de ſe fidem non adhibere noverat, fœminam contemptui habuiſſe: poſtmodum auctis in dies magis ſimultatibus Alexandrum ex pietatis officio, cùm matri in omnibus gratificari cuperet, multa ſigna alienati ab Antipatro animi F dediſſe, acceſſiſſe crudelem Parmenionis, & Philotæ necem, ex qua amicis omnibus regiis non mediocris injectus fuerit terror: Antipatrum idcirco per filium Jolam, qui erat à cyathis, curaſſe, uti Regi venenum porrigeretur. Poſt cujus obitum, cùm in Europa ipſa Imperium tenuiſſet, & deinceps eo mortuo, filius Caſſander, non auſos fuiſſe ſcriptores veneni dati mentionem facere. Illud ſanè ex his, quæ facta ſunt, conſtare, Caſſandrum rebus Alexandri adverſum fuiſſe, cùm Olympiadem interfectam abiici, ne ſepeliretur, juſſerit: & everſas ab illo Thebas magna diligentia inſtauraverit. *Diod. l.17.*

MARITOS.

Circe venefica mulier, Sarmatarum regem (cui nupſerat) veneno fertur occidiſſe, arreptoque regno ſubditos multùm oppreſſiſſe. *Sab.*

Laodice regina Syriæ, Antiochum virum ſuum, cognomento Deum, ſimul cum alia conjuge Berenice, ac filio, veneno perdidit. *Fulg. l.9. c.11.*

Mulier Smyrnæa virum, atque filium veneno interemit.

☞ *Vide Tit. Judicii ſuſpenſio in practicis, ſub exemplo Dolabellæ.* G

Infamis annus Romæ fuit M. Claudio Marcello, & T. Valerio Flacco, ſive Potito, conſulibus, cùm multis ex primoribus Patrum ſimili morbo, & eventu mortui eſſent, ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum ædilem Curulem venit, cauſamque ejus cladis prodituram ſe profeſſa eſt, ſi fides ſibi daretur, id indicium apud Dominos haud futurum ſibi noxæ. Fabius re ad conſules delata, à conſulibus ad Senatum, fide, conſenſu ordinis, indici data, patefactum eſt muliebri fraude eam cladem accidere, multas eſſe, quæ in virorum perniciem coquerent venena, ac ſi ſecum eant, fore, ut multæ veneficio occupatæ deprehenderentur. Miſſi, qui ancillam ſequerentur. Hi quaſdam medicamenta coquentes, apud alias recondita inveniunt. Quibus in forum delatis, vigintique numero matronis, apud quas id pharmaci genus fuerat deprehenſum, publicè accerſitis, & in his Cornelia, & Servilia patritiæ gentis: quæ cùm ſalubria eſſe contenderent, à confutante judice bibere juſſæ ſpatio ad colloquendum ſumpto, inter ſe locutæ, id haurire ſtatuunt, medicamento in conſpectu populi epoto, ad unam interiere. Inde ad CLXX. ejuſdem H ſceleris convictæ, capitali ſunt ſupplicio affectæ. Atrocitas rei, quia ad eam diem in nullam fuerat veneficii inquiſitum, prodigii eſt loco habita, velut alienatis furore mentibus in flagitium perpetrari contigiſſet. Dictator creatus eſt figendi clavi gratia, quod eo olim piaculo mens plebis diſcordia alienata compos ſui demum facta, & ad concordiam revocata eſſet. Clavum Cn. Quintilius Minervæ poſtibus affixit. *Val. Max. l.2. c.1. & Sab. l.4. En.4.*

Publia, & Lacinia nobiles fœminæ quæſtione de veneficiis publicè decreta, quia viros ſuſtuliſſe dicebantur, cognatorum decreto necatæ ſunt. *Sab. l.8. Enn.5.*

Quarta Hoſtilia, ut venefica mariti ſui C. Calpurnii Piſonis, eò maximè damnata eſt, quòd Fulvio Flacco filio ſuo iis comitiis repulſam paſſo, quibus Piſo vitricus Conſul deſignatus erat, exprobraſſe diceretur, ei jam tertium petenti, negatum Conſulatum eſſe: ideòque tunc monuiſſe, ut quartam petitionem præpararet, ſe effecturam, qui Conſul intra duos menſes efficeretur, quod acciderat, ut & maritus Hoſtiliæ intra A hanc diem moreretur, & in ejus vitrici locum ipſe Q. Fulvius Flaccus ſufficeretur. *P. Ærod. ex Livio Dec.4. l.10.*

Livilla Druſi (qui Tiberii Cæſaris frater fuit) uxor, poſteaquam cum Sejano adulterium commiſiſſet, cum eodem in mariti mortem conſpiravit, ſuamque operam adhibuit, ut maritus veneno interficeretur. *Dion. Nicæus in Tiberio.*

Exactis his annis, cùm Mulier venefica Tremoniæ aliàs exhibuiſſet marito argentum vivum, ut eum perderet, nec ex voto negotium ſucceſſiſſet: tandem die quodem feſto, cùm campanis pulſaretur ſolenniter ſignum abſoluti Miſſæ ſacrificii, illa præcurrit ad ædes Dorpiorum, mercatorum ibi celebrium, ubi ab emente majorem ſolito argenti vivi quantitatem quæſivit mercatoris famulus, in quem finem id compararet? reſpondet: Se in medicamento quodam ad enecandos glires eo uti. Cùm primùm domum venit, omne illud argentum infudit, oluſculo conciſo, coctoque, quod marito apponebat: Is animadvertens nondum diſſolutum, nec ſatis permixtum mercurium, veneficium uxoris detexit. *Vierus l.2. cap.50. de Præſtig. dæm.*

B Improbam Uxorem marito aliquot vicibus argentum vivum dediſſe devorandum, eumque id ſine ullo nocumento per alvum egeſſiſſe, narrat *Geor. Agricola l.8. de Natura Foſſil.* Tandem in maleficio manifeſto deprehenſam pœnas legibus dediſſe.

Gisbertus Horstius, medicus experientiſſimus, auctor eſt, Romæ quendam hydropicum diù decubuiſſe, cujus Uxor tandem impenſarum pertæſa, veneno illum tollere decreverat. Quare bufonis in olla uſti pulverem ægroto propinat, unde ille copioſum reddit lotium: hinc denuò eundem pulverem exhibet, ut citiùs ille ærumnoſam, ſumptuoſamque vitam cum præcipite commutaret morte. Qui multò uberiore exonerata per veſicam ſaburra aquea convaluit, præter conjugis expectationem. Nam bufo etiam certæ alicui particulæ applicitus, hydropicorum aquas per meatum urinarium expellit. *Vierus lib.2. c.50. de Præſt. dæmon.*

PARENTES.

☞ *Ex Tit. Parricidarum huc quædam.*

Antiochus Gryphus, cæſo Alexandro, paternum Sy- C riæ regnum matris Cleopatræ, & Ptolemæi Phyſconis avunculi recuperaverat. Cleopatra iniquo animo ferens, auctoritatem ſuam poſt filii victoriam de Alexandro infirmiorem factam, ab exercitu domum reverſo veneni poculum obtulit. Qua fraude jam anteà inſtructus, veluti cum matre pietate certaret, recuſavit, ſe ante illam bibiturum. Cui abnuenti cùm fruſtra aliquandiù inſtitiſſet, demum indice in medium adducto, deſtinati ſceleris arguit: unamque ad diluendum crimen viam ſupereſſe dictavit, ſi quod filio obtuliſſet ipſa biberet. Atque ita illa venenum, quod in alium paraverat, in ſe vertit. *Sab. lib.1. Enn.6.*

* Hecate mulier ſanguinaria, aconitum prima dicitur reperiiſſe, quo parentem ſuum Perſam à medio ſuſtulit.

*HOMINES SANCTOS.

Cùm B. Apoſtolus, & Evangeliſta Joannes Aſiam Catholica fide imbueret, Ariſtodemus ſacrorum apud eos Princeps eum veneno tollere propoſuit, addita hac conditione, quòd ſi innoxiè biberet, prout Chriſtus promiſerat, dicens, Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ipſe in eum crederet. Itaque præſtantiſſimum toxicum præparavit, quod & duobus ipſo vidente, capitis reis propinavit, qui poto citiùs exſpi- D rarunt. At S. Apoſtolus poculum manu accipiens, cùm ſignum Crucis ei impreſſiſſet, totum exhauſit, & nihil nocumenti ſenſit, mirantibus qui aderant, & Deum, ejuſque Apoſtolum laudantibus. *Ex vita illius apud Surium, & Baronium.*

Sanctum Julianum Abbatem, & poſteà Epiſcopum Boſtrenſem. Quidam odio nominis Chriſtiani è medio tollere cogitavit, corruptoque miniſtro, qui calici venenum infunderet, ſcelus ſuum attentavit. Itaque exceptum è pueri manibus calicem ante ſe poſuit, & admonitus inſpiratione interna de eo, quod acciderat, accerſivit primates Civitatis, & expoſuit, quod ſibi evenerat, ſignanſque calicem in nomine SS. Trinitatis, eum coram omnibus ebibit, & illæſus perſtitit. *Pratum Spirit. cap.44.*

*PONTIFICES.

Victori Papæ II. anno Domini 1055. à Subdiacono toxicum calici immiſſum, & miraculo inſidiatorem deprehenſum, adduxi infrà. *Tit. à Veneno Servati.*

*EPISCOPO.

☞ *Vide Exempla ſuperiora.*

Archidiaconus quidam Sabinum Epiſcopum Canuſinum E veneno è medio tollere conatur. *Vide infra à veneno ſervati, ubi & nonnulla, quæ hìc ſerviunt.*

*UXORES.

Quidam in Brabantia, cui aſſiduæ rixæ cum uxore, cogitavit citò ejus ſe contubernio liberare, ſi obſonio toxicum iniiceret, & ita eam perimeret. Sub prandium igitur cum obſonium præparatur, & diſtinctis catinis hauritur, illi, quem uxori proponendum ſperabat, arſenicon injecit, & fronte expoliata ad menſam reſedit, ſeque uxori comitem remiſſa omni moroſitate exhibuit, & obſonium inferri curavit, ſed alio eventu quàm ſperaverat. Fortè enim miniſter, quod conjugi præparatum erat, viro ipſi per errorem appoſuit, qui nihil tale ſuſpicatus, ignaram conjugem ad ſorbitiunculam coram ſe poſitam invitavit. Sed mox ſentiens quod acciderat, factique pœnitentia ductus, toxico, quod acceperat, interiit.

De alio narratur, quòd cùm venenum immiſiſſet poculo, quo uxor ejus inter edendum utebatur, puer, quem tenerè il- F la diligebat, adhuc tenellus, qui patrem ex charta depromentem quid adverterat, & poculo, vel ſcypho materno iniicientem, ei indicavit. Quæ malum ſuſpicata ſibi à marito præparari, idem conſideravit, inſpexit, & peritiori alicui examinandum detulit. Deprehenſum fuit arſenicum album, & re ad magiſtratum delata, factoque cum uxore divortio, parum abfuit ne veneficus capite lueret, niſi etiam tormentis adactus, ſcelus negaſſet.

Dorides venefica. ☞ *Vide ſupra veneficæ Mulieres. Item infra veneno extincti.*

DOMINOS.

Joanna quædam ancilla, anno M. D. LIV. nobili matronæ Annæ à Virmont, optimè de ea meritæ, bis clandeſtinè arſenicum propinavit. Joan. Vierus ad morbi, ex prioris veneni aſſumptione, curationem accerſitus, poſt alia feliciter adminiſtrata, jus caponis ſimplex ab ægrota ſorberi voluit. Cui denuò, ut è medio tolleretur domina, arſenicum largiùs infuderat Joanna, quæ illi à cubiculis erat. Eo autem non ſatis juri immixto, guſtu & viſu maximè, ob ejus copiam, ab ægrota, & medico deprehenſum eſt venenum. Veneficium confeſſa G puella, morti adjudicabatur: aliorum tamen interceſſione ob ætatem juvenilem, qua vix XV. attigerat annum, vitæ beneficio rursùs donata, carceri perpetuo mancipata: unde poſt menſes paucos effractis cancellis, eam liberarunt milites. *Vierus l.2. cap.50. de Præſt. dæmonum.*

☞ *Quære locum de Famulis.*

ANIMALIA.

Eriphile venefica, cùm aliquod animal aſpexiſſet, illi accidebat mali quidpiam. Hinc adagium, Anus Eriphus: in mulierem excantatricem.

QUOMODO VENENO AMOREM CONCILIARE.
PHILTRUM PORRIGERE.

Dejanira ſtultè credula veſti ſibi à Neſſo traditæ philtrum ineſſe, Herculem maritum perimit. ☞ *Vide Tit. Severi erga pudicitię corruptores.*

Pindarus in Nemeis hymno 4. ἴυγγι ἕλκομαι ἦτορ, id eſt, Iynge trahor animo. Interpres addit hujuſmodi fabulam: Iyngem ajunt fuiſſe filiam Echus, alii Pithus, qui cùm amatoriis venenis incitaſſet Jovem in amorem Ius, à Junone irata verſa eſt in avem, qua mulieres uti conſueverunt in amatoriis veneficiis, quemadmodum indicat *Theocrit. in Pharmaceutria*: Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα, id eſt, H Per te Iynx meus ille domum vir quæſo trahatur. Quidam Iyngem vertunt motacillam, quod caudam aſſiduè moveat. *Eraſm. in Proverb. & Suidas.*

FORMAM IMMUTARE.

Scyllam Phorci, & Hecates filiam, præſtantem forma corporis mulierem fuiſſe memorant, quæ cum Neptuno concubuerit. Qua re cognita, pharmacum Amphitrite in fontem, in quo ſe lavare Scylla conſueverat, injecit, eamque in furorem actam, cùm ſe in mare præcipitaſſet, in monſtrum marinum convertit, ut ſcripſit *Miro Prianeus l.5. rerum Meſſen.* Alii fabulati ſunt, Scyllam rem habuiſſe cum Glauco. Quòd ægrè ferens Circe, quæ illius amore tenebatur, pharmacis fontem, in quo lavari Scylla conſueverat, infecit, quibus illa pubetenus in varias formas mutata ſit. Scylla igitur ſua deformitate territa, ſe in mare præcipitavit. Ejus formam ita deſcribit Iſacius: ἓξ μὲν κεφαλὰς ἔχων κάμπης, κυνὸς, λέοντος γοργόνης,

γοργόνης, βαλαίνης, ἀνθρώπου, ἴσον πόδας. Sex habens capita quidem bruci, canis, leonis, Gorgonis, balænæ, feminæ, pedes autem XII. alii dixerunt oculos tenus Scyllam pulcherrimam fuiſſe mulierem, at ſex habuiſſe canum capita, reliquam corporis partem fuiſſe ſerpentum. *Hom. lib. μ. Odyſſ.* & capita, ſex, & XII. pedes illi fuiſſe ſcribit, & ſingula capita habuiſſe tres ordines dentium. At *Virgil. l. 3. Æneid.* aliter ejus formam deſcripſit. *N. Comes Mythol. lib. 8. cap. 12.*

Morbos inferre.

Quidam Provinciæ Narbonenſis accolæ, lepra correpti, regnante Philippo Gallorum rege, ejus filio, qui Pulcher cognominatus eſt, deprehenſi ſunt, ſanie è corporibus ſuis manante, aliaque tabe, clàm puteos inficere: ut ad univerſum populum, qua ipſi laborabant, lepra tranſiret: Quorum ſcelus cùm aliorum valetudini infeſtum eſſet, omnes vivi in domibus ſuis conbuſti fuerunt. Ad id ſcelus Judæi eos impulerant, ut alienæ valetudini invidendo, ſimiles ſibi facere alios bene valentes quærerent. *Fulg. lib. 9. c. 11.*

Mortem inferre.

Livius lib. 8. Cl. Marcello. T. Valer. Coſſ. prima tunc de veneficiis quæſtio habita, cùm multi principes venenis Mulierum interiiſſent.

Venefici, qui herba hæmagoga interficiebat homines, apud Thraces Bythiniam incolentes, meminit *Gal. de Purg. med. fac. cap. 4.*

Peſtilentiam propagare.

Venefici quidam ſub Commodo peſtem Romæ diſſeminant.

☞ *Vide Tit. Peſtilentiæ memorabiles.*

Caſali in urbe Salaſſiæ regionis Italiæ circiter ann. Domini MDXXXVI. conjurarunt viri, ac fœminæ, XL. ferè numero, inter quos & carnifex erat: ut cùm peſtis antea ſæviiſſet, & jam cœpiſſet miteſcere, unguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus, inficerentur, qui vectes tractarent: appararent & pulverem, quem veſtibus clàm inſpergentes, noxam inferebant. Latuit aliquandiù dolus, ſublatique multi, à conjunctis ſanguine, vel affinitate: data etiam veneficis, ut ferebatur, pecunia hæreditatis cauſa. Sed cùm cujuſdam Neci nomine fratrem, atque unicum filium enecaſſent, vixque alii quam domini ipſi domum, aut filii perirent: ſimulque animadvertiſſent Androgynam ſe in domos inſinuare, atque eos maximè interire, quorum ædes ingrederetur: deprehenſa conjuratione, omnes exquiſitiſſimis tormentis interempti ſunt. Faſſi etiam, quod in celebri cujuſdam Divi pompa ſubſelliis perunctis, univerſos trucidare cives decreviſſent: parataſque in hunc uſum fuiſſe ſupra XX. ollas. *Vierus lib. 2. cap. 50. de Præſtig. dæm. Cardan. lib. 15. c. 8. de va. rerum.*

Patavini peſtilentia circa annum M. D. LV. agitabantur, miti quidem illa, ſed quæ per intervalla ita increbreſceret, ut contagii cauſa à vicinis urbibus ab ipſis etiam Venetis proſcripti, omneque commercium illis interdictum fuerit. Gliſcente morbo σποραδικῶς potiùs, quàm populariter, deprehenſum tandem (Judæi obſervatione, qui Veſpillonem per vicum Hebræorum incedentem, pueris fili globum objeciſſe viderat) Chirurgum Hiſpanum, & Veſpillonem fœdus inter ſe iniviſſe iis legibus, uti Veſpillo contagium in urbe diſſeminando peſtilentiam aleret: Chirurgus nummatos, & pecunioſos vel pharmaco, vel uſtionibus ſub medendi prætextu tolleret. In vincula conjectis, crimenque faſſis cervices laqueo fractæ: Patavini à peſtilentia liberati ſunt. Hujus tragœdiæ meminit *Vierus l. 2. c. 50. de Præſt. dæm.* ex Baſſiani Landi Medici auctoritate.

Tentarunt & idem alii Genevæ pòſt, dederuntque pœnas.

* Ferunt etiam alibi contagium hoc mirum in modum propagatum fuiſſe, quòd Veſpillones tumulandis peſtiferorum cadaveribus deputati, aut excrementa & ejectiones eorum diſpergerent, vel etiam decedentium halitum panno exciperent, quem mox explicarent coram aliis, qui eà ratione inficiebantur, unde & conſulto pleriſque locis certo ſigno dignoſcuntur.

Fruges corrumpere.

* Anno LIII. captæ ſunt Bellinæ duæ fœminæ veneficæ, quæ glaciem ad perdendas fruges perficere conatæ ſunt. Eæque mulieres rapuerunt furto alterius mulieris infantulum, & ipſum diſſectum coxerunt. Factum eſt divinitus, ut mater quærens infantem, interveniret, ibique ollam, & impoſita amiſſi infantis membra videret. Captis itaque mulieribus, & in tortura examinatis, dixerunt: ſi proceſſiſſet coctio, tunc futura fuiſſet ingens glacies, ita ut omnes fruges perderentur. *Godelm. lib. 1. de Lameis, cap. 7.*

QUO INSTRUMENTO VENENUM immittere, intentare.

Oculis.

Populi ſunt in Triballis, & Illyriis, qui viſu effaſcinant, & interimunt, quos diutiùs intuentur, iratis præcipuè oculis. Hujus generis ſunt feminæ in Scythia, quæ vocantur Vitiæ.

Effaſcinatrices gentes Paletheoborum, Pontum incolentes, quas. *Plut. Symp. 5. Gell. lib. 9. cap. 4. & Philarchus* narrant, non puſionibus modò, quorum habitus ſit imbecillis, ſed adultis etiam, qui ſolido, concretiorique conſtant corpore; peſtilentes eſſe, & intuitu ſoloque halitu in tabem reſolvere, morboſque perimentes accire non ſolùm his, qui continuò adſunt, verùm & hoſpitibus, & qui ab earum commercio alieniſſimi ſunt.

Telghines, Rhodi populi, omnia aſpectu ſuo faſcinant.

Sacra Synaxi.

Romæ Diaconus quidam. ☞ *Vide infra. A Veneno Servati.*

Canonicum Lavellenſem memini, anno M. CLXIX. veneni infuſi in Lavallenſis Decani calicem accuſari, qui Miſſam faciendo medicatam potionem hauſit, & in terram proſtratus eſt, deinde verò evomuit. Reus voluntariè, & ſine quæſtione agnovit factum: condemnatus Curiam Pariſienſem appellavit: Placuit Curiæ hominem igni dedi. *Bod. l. 4. dæmon. cap. 3.*

Cibo, Potuve Medicato.

Livia Auguſti Cæſaris uxor, verita, ne Agrippam filium Agrippæ in urbem revocaret Auguſtus, ad Imperium ei relinquendum (is enim tum exulabat in quadam inſula cum matre Julia Auguſti filia) ficus pendentes adhuc in arbore, quas Octavius manu ſua decerpere conſueverat, illivit veneno: cùmque ipſa comederet eas, quæ illitæ non erant, ei venenatas offerebat. Unde cùm profectus in Campaniam ludos apud Neapolim faceret, Nolæ mortuus eſt. *Dion. Nicæus in Auguſto, & Zonaras.*

Locuſta venefica Claudium Imper. inſtinctu Aggrippinæ, eò quòd Neronem ſucceſſorem Imperii facere nollet, in boleto ſuſtulit veneno, cui nullum remedium adhiberi potuit. *Xiph. in Claudio, & Plin. l. 32. c. 12.* Ea propter Nero boletos per jocum vocabat cibum deorum, quòd Claudius per hos conſecrationem adeptus eſſet. *Suet.*

Nero Claudii F. Britannicum non minùs æmulatione vocis, quæ illi jucundior ſuppetebat, quam metu, ne quando apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggreſſus eſt. Quod acceptum à quadam Locuſta venenariorum indice, cum opinione tardiùs cederet, ventre modo Britannici moto: accerſitam mulierem ſua manu verberavit, arguens pro veneno remedium dediſſe. Excuſantique minùs datum, ad occultandam facinoris invidiam: Sanè, inquit, legem Juliam timeo: coegitque ſe coram in cubiculo quam poſſet velociſſimum, ac præſentaneum coquere. Deinde in hœdo expertus, poſtquam is quinque horas protraxit: iterum ac ſæpiùs recoctum, porcello objecit. Quo ſtatim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti ſecum Britannico imperavit. Et cum ille ad primum guſtum concidiſſet; comitiali morbo ex conſuetudine correptum ad convivas ementitus, poſtero die raptim inter maximos imbres tranſlato extulit funere. Locuſtæ pro navata opera, impunitatem, prædiaque ampla, ſed & diſcipulos dedit. Idem Burro præfecto, remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit. *Suetonius.*

Lepore marino cibis admixto, multos ſuſtulit Domitianus: eodem Titum fratrem ſuſtuliſſe creditur. *Philoſt. in Apol. vita.*

In nobili familia de Petrinis Bononiæ, duo erant fratres, quorum alter maritus, cum numeroſa prole in eiſdem ædibus commorabatur matri viduæ: Alter verò junior, ſpe conſequendæ hæreditatis univerſæ, totam familiam è medio tollere ſtatuit, conjecto in vini dolium arſenico. Ex cujus uſu cùm gravibus torquerentur ſymptomatibus, convocabantur Medici celeberrimi, Matthæus Curtius, Joan. Maria Bertus, & Hiſpanus Philippaldus: qui in veneni ſuſpicionem mox venerunt, quod iiſdem cruciatibus vicinos quoque exagitari, qui fortè domum ingreſſi, vinum illud hauſerant, intellexiſſent. Eorum itaque conſilio vas infringitur, vinoque effuſo invenitur arſenicum. Hinc curationem aggreſſi medici, omnes reſtituerunt, excepta matre, vetula debili, & puero infirmo. Fuga ſibi conſulit veneficus, atque ita veneficii auctor innotuit. Facinus hoc contigit, anno M.D XXXIIX. in Auguſto. *Vierus l. 2. cap. 50. de Præſt. dæmonum.*

Navarræ rex, pulvere venenato ſub philtri ſpecie comitem Foiſſejum per F. tollere conatur.

☞ *Vide Tit. Sævitiæ œconomicæ parentum.*

Vaſtarant Tartari Poloniam cum Ruſſis, anno ſalutis humanæ M.CCXXCVI. Exceſſuri è Ruſſia, ut eſt malitioſum genus hominum, & incantationum, atque veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exectis captivorum cæſorum cordibus, & præſentiſſ. veneno imbutis, & verubus ſubter aquas defixis. Unde plurimi mortales poſteà ex aquæ venenatæ uſu immedicabilibus morbis correpti, miſerabiliter extincti ſunt, cùm ſeriùs mali cauſa animadverſa eſſet. *Crom. l. 10.*

Medicamento.

Socrui Gener quidam veneficus cantharides, extractæ caſſiæ mixtas, obtulit Bononiæ. Quam veſicæ cruciamentis tam atrociter afflictam, ut etiam ſanguinem largum ex veſica excreverit, felici ſucceſſu curavit Helidæus Paduanus Forolivienſis, clariſſimus medicus. *Vierus lib. 2. cap. 50. de Præſt. dæmonum.*

Arnulfus Imper. Guidonem Italiæ regem fugarat, & Firmum urbem, ubi Guidonis Uxor degebat, obſidebat. Illa corrupto pecunia intimo Auguſtalis aulæ miniſtro, clàm ad ſe deducto: Cæſaris, inquit, animum in me immerita ira ſuccenſum placare cupio. Hæc potio (poculum manu geſtabat) triſtitiam diſcutit: lætitiam, amores, feſtivitatem, ludos, jocoſque, & omnia gaudia menti affert: eo viri mei animum furentem ad ſanitatem revocavi, & ut ſine noxa ſumi ſcias, experire. Simul ſervo, vel ægro, vel ægrum agenti introducto, poculum porrigit. Quod cùm is ebibiſſet, intra horæ ſpatium validus, vigenſque extitit. Illa Germano alteram, & aliter medicatam potionem, vimque auri tradidit. Arnulfus epoto veneno correptus lethargo gravi, per triduum excitari inclamantibus ſuis, vellentibuſque non potuit. Evigilans tandem ſoluta obſidione domum revertit, ac aliquanto poſt phthiriaſi deceſſit. *Æmil. l. 3. & Cuſp.*

Digito Venenato.

In digito mori, de animalibus intelligendum, quorum genitalia vel corporis partes aliæ opportunæ, digitis veneno litis contactæ, mortem inferunt. *Cicero pro Scauro:* Libertus patronum non occidit, ſed duobus digitulis gulam oblivit. *Plinius.* Sed antiquorum curam, diligentiamque quis poſſit ſatis venerari? cùm conſtet, omnium venenorum ocyſſimum eſſe aconitum, & tactis quoque genitalibus feminini ſexus animalium, eodem die inferre mortem. *Cælius libro 23. capite 13. A.L.*

Sagittis.

Morem fuiſſe Scythis perveterem, ſcribit Plinius, ſagittarum aciem tingere viperina ſanie, & humano ſanguine, irremediabili ſcelere. Nam mortem illicò affert, etiam levi tactu. Obſervabant autem Scythæ viperas (uti teſtatur Ariſtot. in Admirabilium relatione) ubi jam peperiſſent: ſic enim captas diebus aliquot liqueſcere ſinebant; mox ubi computruiſſe viderentur ſatis, in ollam ſanguinem hominis unius totum infundebant, adobruebantque in ſterquilinio, vaſe diligenter obturato: ubi verò, & ſic contabuerat, eximebant, ſumenteſque, quod ſupernataſſet jam aquoſum, ſanieique viperinæ permiſcentes; ita lethale conficiebant venenum. *Cælius lib. 23. cap. 10. A.L.*

Scribit Paulus Ægineta, toxicum videt inominatum, quod eo à Barbaris inficerentur ſagittæ, quas dicunt Græci, τοξεύματα. Approbat idipſum & in Alexipharmacis Nicandri interpres. *Idem.*

Auctor Strabo eſt, Tranſalpinæ Galliæ peculiarem haberi arborem ficui perſimilem, lacte cujus pernicioſiſſimo ſagittas inficiant. Quanquam & artifex præcipua venena miſcendi olim fuiſſe, tradatur mundi portio illa. Quod in Cimbrum Tullium ſignificarit Maro: id quod obſervatum Hermolao eſt. Sed & *l. 6.* meminit *Fabius:* Cimber hic fuit (inquit) à quo fratrem necatum, hoc Ciceronis dicto notatum eſt: Germanum Cimber occidit. *Ibid.*

In Harmatis, quæ Brachmanum civitas eſt, linebantur ſagittæ venenata ſudoris vi, ex ſerpentium quarundam carnibus Solis ardore colliquatis, deprompti. Ea malo inerat potentia, ut primùm obſtuperet corpus, mox peracuti inſequerentur dolores cum tremore, ac contractione; Cutis atrior mirè frigeſcebat, rejectabatur ſubinde bilis quoque: proliciebatur ex vulnere nigrum virus, ac ſpumoſum, cujus contactu contabeſcerent omnia. *Idem.*

Chirotheca.

Uxor Creſcentii conſulis ab Othone III. Imper. ſuſpenſi, forma eximia cunctas Italiæ mulieres ſuperabat, & ſpe regnandi Imperatorem ad amorem ſui pellexerat. At ubi reditum in Germaniam maturantem vidit, chirothecis miro ingenio affabrè factis, venenum inſuiſſe fertur venefica mulier, & Cæſari muneris loco dediſſe; quo paulatim intoxicatus, ac conſumptus, inter remeandum in Italia interiit, anno Imperii XIX. Germani Imperatorium corpus cum Imperii inſignibus per Galliam in Germaniam detulerunt, armis viam ſibi parantes Aquiſgranum uſque, ubi imperiali pompa honorificentiſſimè ſepultum eſt. *Sigeb. in Chron.*

Inunctione coronidis.

Apud Pedemontanos Caſalii Quædam nomine Androgyna cùm intraret in alienas ædes, & paulò poſt homines interirent, comprehenſa, Sagarum omnium conſortium ejuſdem maleficii detexit conjurationem (erant autem XL. fermè) quæ dexteram januarum manum ad enecandos homines perungebant. Id anno MDXXXVI. accidit. Genevæ quoque poſteà idem effectum eſt, anno MDLXIIX. ubi ad ſeptennium fuit peſtilentia, ex qua occubuerunt multi. *Bodinus, lib. 4. Dæm. c. 4.*

☞ *Vide infrà Veneno extincti.*

CUR VENENUM DATUM ALTERI, CAUSA Ultionis.

Gamma Galla Eraſinorigem mariti interfectorem veneno interficit. *Vide Tit. Amor uxorem erga conjuges.*

Rosimunda, Cunimundi Gepidarum regis filia, interfecto primo marito Alboino rege Longobardorum, ſecundum quoque Helmigem nomine, Ravennæ principem, veneno præſentaneo perdere conata eſt. Cujus partem cùm hauſiſſet, ubi ſenſit contagium per venas ſerpere, evaginato gladio, eam coegit reliquam poculi partem bibere. Quo facto, ambo ſuffocati ſunt. *Paulus Diaconus,* Eandem hiſtoriam fuſius habes *infra à Quibus extincti, §. Uxore.*

Tyrannidis.

Hanno Hamilcaris Carthaginenſium ducis F. Senatum Carthaginenſem veneno tollere nititur. ☞ *Vide Tit. Crudelitatis ob tyrannidem affectatam.*

Quæstus.

Gemes Othomannus à Bajazete Turcarum Imp. fratre pulſus, Petro Buſſonia Gallo Rhodeorum equitum magiſtro ſe commiſerat: qui præter expectationem eum carceri incluſit, factuſque poſteà Cardinalis Romam tranſtulit. Ibi ab Alexandro VI. Pp. Carolo IIX. Gallorum regi, regnum Neapolitanum occupanti, & Turcis conſequenter formidoloſo (in gratiam Bajazetis, qui ducenta aureorum millia, cum Chriſti inconſutili tunica, pro hoc officio Pontifici promittebat) lento veneno potionatus traditus, non multò poſt in Gallia periit. *Jovius lib. 2.*

VENEFICI, CONSIDERATI RESPECTU EFFICIENTIS. ALII:

NATURA.

Thybies, ſeu Thybios, Ponti quondam accolas, Phylarch. ſcriptum reliquit, non pueris modò, verùm etiam adultis peſtiferos fuiſſe. Etenim viſum, animam, & alloquium eorum tabem contractis corporibus, & morbum afferre. *Plut. lib. 5. Conviv. q. 7.*

Consilio, Arte.

☞ *De his quoque ſub injuſtitiæ profanæ loco. Ex tit. Veneno petiti, & interfecti, huc non pauca accommodari poſſunt.*

FINIS. VENEFICIA In Genere.

☞ *Vide Tit. Miracula magica.*

Circe Solis fuit filia, Medeæ amica. De matre non convenit: Cicero Aſteriam Latonæ ſororem dicit: Homerus Perſan Oceani filiam. Diodorus aliter fabulam narrat. Peritiſſima fuit virium herbarum, & philtra excogitavit, nupſitque Scythæ Sarmatarum regi, quem venenis ſuſtulit. Ideò a civibus pulſa, in inſulam quandam Oceani deſertam fugit, ſeu, ut alii tradunt, in promontorium, quod de ejus nomine Circejos nominant. Circejum ſunt, qui inſulam putent, ſed promontorium eſt in modum inſulæ deformatum, ut inquit Strabo.

In

In majore Pharmacuſſarum ſepulchrum Circes oſtenditur. A Hæc magna, quæ ſocios Ulyſſis in varias beſtias mutavit, celebratiſſima eſt libris Homeri, Theocriti, Virgilii, & cæterorum poetarum, tum etiam qui ſoluta oratione ſcripſerunt. *L. Vives in l.18. Aug. de civit. Dei, cap.17.*

IN SPECIE. UT PUTA.

Amatoria.

☞ *Exempla aliquot ex aſtutiæ amatoriæ titulo petantur.*

Iynx Suadelæ filia, cùm Jovem pharmacis in ſui deſiderium attrahere conaretur, à Junone in avem ſui nominis mutata eſt, quam Motacillam vocant Latini. *Natalis Comes Mythol.lib.6.cap.6.*

Hoſtilia.

☞ *Conſule locum Stratagematum, in Commeatu corrumpendo.*

OCCA, Hengiſti F. Saxonum dux, ab Hur. Ambroſio Britannorum rege profligatus, pactis in quatuor menſes induciis, Copam Saxonem ſubornat, ut Monachi habitu, medicique profeſſione aſſumpta, regem, qui hectica febre laborans remedia nulla reſpuiturus videbatur, veneno tolleret. Egit ille perſonam tam dextrè, ut tandem ſoporifero poſt longas B vigilias exhibito, quem dormire putabant aulici, mortuum invenerint. *H. Boethius lib.9.*

ALFONSUS Cardinalis, Pandulphi Petruccii Senenſium tyranni F. unà cum fratre Borgheſio à Leone X. Pp. translato civitatis imperio in Raphaelem Petruccium, domo pulſus, Vercellium circumforaneum Chirurgum maximis pollicitationibus perpulit, ut in necem Pontificis operam præſtaret, ſi curandæ fiſtulæ ergo, quæ illi in ima ſede abſceſſus nata erat, excluſo vetere medico vocaretur. In hanc ſpem Alfonſus Vercellii perititiam, atque felicitatem laudando, per Julium Blancium Leonis cubicularium, & Cardinales gratia, familiaritateque valentes aſſiduè commendabat: jamque exturbato vetere medico, locus Vercellio erat patefactus, niſi Leo cunctis adverſantibus, ſalutari quadam verecundia, minimè ſe novo medico aperiendum eſſe judicaſſet. Detecta autem re per interceptam epiſtolam arbitrariis conſcriptam notis, Alfonſus captus carcere ſtrangulatur, Vercellius, & Antonius Alfonſi ſcriba curru per urbem circumducti, car- C ptimque diſcerpti, candentium forcipum morſibus, ad extremum ſtrangulati, in fruſta ſecti ſunt. Cardinalibus tribus crimen faſſis, & ſupplicibus Leo clementer ignovit. *Jovius in Leone.*

VENENO EXTINCTI.

QUO, QUALI. UTPUTA.

Aqua Stygia.

ALEXANDER Macedo ab Jola prægustatore, Antipatri ad regnum aſpirantis filio, veneno aquæ Stygis Arcadia potus eſt. Curtius teſtis eſt, venenum illud per Caſſandrum allatum fuiſſe, traditumque Fratri Jolæ. Convenit inter ſcriptores, Ariſtotelis infamia, & maxima nota excogitatum. *Cic. in Tuſc.quæſt.lib.2. & lib.de Divinat. Strabo lib. 1. Plinius lib.30. cap.ult. Pauſ.in Arcad.* Veneni extemplò ſuſpicionem nemo habuit. Sexto demùm anno autumant indicio delato Olympiada multos necaſſe, oſſa etiam projeciſſe mortui Jolæ, pincernæ, filii Antipatri, quaſi venenum hic miſcuiſſet. Qui verò auctorem Ariſtotelem hujus facinoris perhibent Antipatro fuiſſe, atque omninò per illum allatum virus: hi Agnothemim quendam, qui id ex Antigono rege au- D diſſet, narraſſe referunt. Venenum aquam frigidam fuiſſe, & inſtar glaciei gelidam, quæ Nonacride ex petra quadam reſudet: eam, ſicut tenuem rorem, excipientes aſini ungula reponere. Nullo enim vaſe alio poſſe; verùm erodere rigore ſuo, & acrimonia omnia. Maxima pars tamen eam veneni fabulam prorſus exiſtimant commentitiam, habentque argumentum non leve: quòd diſſentientibus per multos dies ducibus, corpus, cùm locis fervidis & æſtuoſis jacuiſſet, non curatum, ejuſcemodi veneni nullum veſtigium præ ſe tulerit, verùm ſine livore, & tabe permanſerit recens. *Plut. in Alex.*

Hydrargyro.

Cùm Seplaſiarius quidam ardentiſſima febre correptus, ſiti intolerabili vexaretur, & delirio oberrans in pharmacopolium deſcendiſſet, ut aliquid ad potandum inveniret: fortè fortuna in argenti vivi vas incidit, multumque ex eo potavit, aquæ fortaſſe vice: poſteà ſtatim in ſuum cubiculum ſe recepit, ubi paucis poſt horis congelatus interiit. At cùm ejus domeſtici, ſub cadavere magnam argenti vivi quantitatem inve- E niſſent, jam per ſedem egreſſi, advocarunt medicos, ut ejus rei, quam miraculum exiſtimabant, diligenter cauſam inveſtigarent. Ii ſtatim ex pharmacopolio argenti vivi vas adferri juſſerunt. Quod ubi ferè vacuum repetiſſent, rem, uti ſe habuerat, deprehenderunt: auxitque fidem, quòd eviſcerato homine, adhuc argenti vivi libram in ejus ventriculo invenerunt: quin & ſanguinem circa cor concretum. *Matthiolus in l.6. Dioſc. ex Conciliatore.*

Gemma.

TRISTANUS CIBELETUS Cyprius, Ferdinandi regis Neapolitani ad petendas Catharinæ reginæ Cypriæ nuptias legatus captus, propterea quòd poſt regis Cypri mortem tumultu excitato Andream Cornelium reginæ patruum interfecerat, exulque factus fuerat, ſui pœnas ſceleris ſe perſoluturum ſciebat, adamante, quem in annulo geſtabat, per hos in ſtomachum recepto, aqua inſuper, quæ metalla dividit, epota, dum portaretur, interiit. *Bembus l. 1. Venetæ hiſt.*

Gypſo.

C. PROCULEJUS, Auguſti Cæſaris familiaritate ſubnixus, in maximo ſtomachi dolore gypſo poto, conſcivit ſibi mortem. *Plin. lib.36. cap.24.*

CONRADO III. Imp. Iconium obſidenti, Græco aſtu, F Emanuel, qui tum Byzantii imperabat, inſidiatus eſt. Nam cùm ejus precibus, & ſuaſu Germanus ex Boſphoro ad hoſtes penè præcipitem extraxiſſet exercitum, perfidus Imperator facinus commentus eſt impium, & deteſtabile, gypſum contuſum, & in ſpeciem farinæ redactum triticeis commeatibus immiſcuit, quos ex Byzantio mittebat in caſtra, eoque cibatu tanta vis Militum brevi conſumpta eſt, ut negotio infecto obſidionem ſolvere coactus ſit rex alioqui invictus, qui ſuorum clade conſternatus, relicta Aſia domum per Thraciam abiit. *Sab. lib.4. En.9.*

Cicuta.

THERAMENES, cùm in quadam domo verſatus inde prodiiſſet, illa ſubito lapſu corruit. Atqui cùm reliqui Athenienſes alii aliunde ad eum confluerent, & inopinatæ ſaluti congratularentur, ille præter omnium opinionem reſpondit: O Jupiter, cuinam me tempori reſervas? Nec multò poſt à triginta tyrannis de medio ſublatus eſt, coactus cicutam bibere: quam forti animo propinavit pulchro Critiæ, qui unus erat ex tyran- G nis. *Ælian.lib.9.de Var. hiſt.*

EUPHRATES Philoſophus ſponte de vita cicutæ hauſtu exceſſit, veniam impartienti Adriano, quia eſſet annis feſſus, & morbo divexaretur. *Dion.*

SOCRATES ab Athenienſibus injuſta de cauſa morti devotus, tritam in calice cicutam hauſit: cujus vis cùm in præcordia, & venas ſerperet, jacuit reſupinus. *Cic. 2. Tuſc. quæſt. & Ovid. in Ibin. & Sab. l. 1. cap.5.*

PHOCION ab Athenienſibus damnatus ad mortem cum ſociis, conſumpto ab aliis veneno, carnifex negabat ſe daturum, niſi numerarentur duodecim drachmæ. Tanti enim venire cicutæ unciam. Phocion itaque, ne per illius contentionem mora fieret morti, accito ad ſe cuidam ex amicis: Quandoquidem, inquit, Athenis ne mori quidem gratis licet, quæſo dato huic pretium. *Plut. in Græc. Apopb.*

In Coorum inſula omnium ſaluberrima, ſenio confecti antequam adverſa valetudine corripiantur, alii papavere, alii cicuta ſibiipſis mortem accerſunt. *Heraclides in Politiis.*

Opio.

Pater Licinii Cecinnæ viri Prætorii Bavili in Hiſpania tædio morbi hauſto opio periit. *Plin. l.20. c.18.*

NELFUS plebejus homo, in certamine equeſtri victor Pata- H vii dum galeam reſpirandi cauſa deponit copioſo intus opio illitam clam ab invidis, periit. *Card. de Subtil. c. de Admir.*

Aconito.

CALPHURNIUS Beſtia uxores dormientes digito aconito illito necare ſolebat: Fabulæ narravere, è ſpumis Cerberi canis natum, extrahente ab inferis Hercule, ideòque apud Heracleam Ponticam, ubi monſtratur is ad inferos aditus, gigni. *Plinius lib. 27. cap. 2.*

Fungis.

☞ *Medicatis fungis mortui ad Cibo venenato extinctos referendi.*

EMPARCHIDES Euripidem Poetam ſcribit in Icarum aliquando navigaſſe: qui cum in agris Mulierem cum duobus adultis filiis, & virginem puellam lethiferos fungos comediſſe vidiſſet, ac idcirco poſteà mortuos, hoc fecit epigramma.

Ω᾽ τ᾽

Ω᾽ τ᾽ ἀγήραντον αἰθέρος ἥλτε τέμνον,
A Ἆρ᾽ εἶδες τοῖον δ᾽ ὄμματι πρόσθε πάθος,
Μητέρα, παρθενικὴν ἢ κόρην, δισσούς τε συναίμους,
Ἐν ταὐτῷ φέγγει μοιρηθέντ᾽ φθιμένους.
Sol, qui perpetuo cœlorum tramite curris,
An viſum facinus huic ſimile antè tibi eſt?
Pars eadem lucis geminos cum virgine fratres
Abſtulit, & matrem: quatuor urna tegit.

Athenæus l.2. c.22.

Fungi ſuilli familias nuper interemere, & tota convivia, Anneum Serenum præfectum Neronis vigilum, & tribunos, & centuriones. *Plin. l. 22. c.23.*

Jovianus Imperat. hyeme Ciliciam, & Galatiam petens, Dadaſtanis obiit, fungo venenato devorato. *Suid.*

Porri ſucco.

Fama eſt, Melam equeſtris ordinis reum ex procuratione, à Tiberio principe accerſitum, in ſumma deſperatione ſucco porri ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto confeſtim expiraſſe ſine cruciatu. Ampliorem modum negant noxium eſſe. *Plin. l. 19. c.6.*

Cantharidibus.

B Scortum quoddam, quò juvenem quendam in ſui amore detineret, lauta cœna excepit, additis etiam conditibus pulviſculo cantharidum conſperſis. Poſtera die cùm merum ſanguinem ano, virgaque rigida redderet, Medicos vocavit, qui ſtatim, ex prædictis, quæ ipſi abundè aderant, ſymptomatibus, intellexerunt ei cantharidas exhibitas fuiſſe, & remedia opportuna adhibuerunt. Sed fruſtranei omnes illorum fuere conatus. Interiit enim ille non remediis convenienter præſcriptis deſtitutus, ſed veneni efficaci contumacia victus.

Lepore Marino.

Coſſinus eques Romanus, amicitia Neronis notus, cùm Liene laboraret, vocato ex Ægypto medico, cantharidum potu ab eo interemptus eſt. *Plin. l.19. c.4.*

Titus Imperator ut Philoſtratus memorat, necatus eſt à Domitiano veneno leporis marini propinato: quo Neronem quoque tradunt multos in conviviis ſuſtuliſſe: cùm ſæpiùs admonitus ab Apollonio eſſet, ut à propinquiſſimis caveret. *Cuſp.*

Sanguine taurino.

☞ *Vide Titul. Suffocati ſanguine taurino.*

C

QUOMODO.

Cibo.

Claudius Imp. cùm ſigna pœnitentis, & matrimoni Agrippinæ, & adoptionis Neronis dediſſet, veneno ob hæc eſt tentatus, quod aliqui tradunt ab Agrippina ipſa boleto medicato, quem avidiſſimè comederat, oblatum, à Locuſta verò muliere ita præparatum, ut mentem turbaret, & mortem differret: aliqui per Halotum ſpadonem prægustatorem in arce, cum ſacerdotibus epulanti ſubminiſtratum: quo extinctus eſt ſexageſimoquarto ætatis, Imperii decimoquarto anno, ut teſtatur *Suet. & Eut. l.8. Tac. l.12.* Xenophontem medicum ab Agrippina adhibitum refert, qui pinnam rapido veneno illitam, faucibus ejus demiſiſſe creditur, haud ignarus, ſumma ſcelera incipi cum periculo, peragi cum præmio. *Plin. l.22. c.22.* Quo facto, inquit, illa terris venenum alterum, ſibique ante omnes Neronem ſuum dedit. Celebre eſt, Dionis teſtimonio, Neronis dicterium, τὺς γὰρ μύκητας θεῶν D βρῶμα ἔλεγεν: id eſt, eſſe deorum cibum fungos dicebat: quoniam fungi eſu Claudius eſſet in deos translatus. *Cæl. lib.6. cap. 12. A.L.*

Marulus in Epigrammatis ſcribit, Biliotum aſtrologum, aſperſis veneno boletis, inſtar Claudii periiſſe, ut ait:

Dum cavet aſtrologus perituris ſidera nautis,
Dum ſibi boletis non cavet, ipſe perit.

Sancius I. Aſturum rex pomo venenato à Gundiſalvo principe trans flumen Dotii, quem imperata facere armis coegerat, ſublatus eſt, an. 975. *Rod. Tol. l.3. rer. Hiſp. c.10.*

Carolus Joannis Boemorum regis F. (qui pòſt ad imperium pervenit) contra Gibellinos patris in Italia vicarius, res gerebat pace, & bello: Veneficus quidam Papiæ mutum ſe eſſe fingebat, & per hoc quaſi naturæ vitium facilè ſe in aulam, dein per operas ſuas, quas quotidie promptiſſimas coquis præſtabat, in coquinam ſe inſinuavit. Paſchæ dies, & feſto, & epulis celebris erat, cùm ille cibis maturiùs venenum infunderet, quàm Carolus à ſolemni ſacro rediens ad prandium diſcumberet. Aulici famis impatientes, ad ſumendum jentaculum à ſacris ſe ſubducunt, & omnes, qui ſeorſum jentarunt, mortui re- E perti ſunt, inter quos præcipui Joannes à Quercu, quem pater aulæ Caroli Magiſtrum dederat, & Joannes ab alia Eccleſia, cibi ſicut Simon à Ceycla poculi adminiſter. Carolus in alia domo prandium ſibi adornari jubet. Inter prandendum illò quoque veneficus ſeſe ingeſſerat: Carolus, viſo adoleſcente in peregrinum modum detonſo, quiſnam ſit, interrogat, mutum eſſe aulici reſpondent, & ſatis diù in aula verſatum. Capiatur, inquit, confeſtim quiſquis ille eſt, ac quæſtioni, & tormentis ſubiiciatur, donec exploratum habeamus, verè, an fictè ſit elinguis. Tortus fari cœpit, auctorem tanti ſceleris Vicecomitem Mediolanenſem eſſe prodidit. *Dubr. l.21.*

Galeacius, & Barnabas Vicecomites fratrem Matthæum, quòd aliquando in cœna, laudantibus fratribus, principatus dignitatem ſubjunxiſſet: Id quidem ſine controverſia verum eſſe, modò quis principatus ſocio, conſorteque careret: veneno ſuillis lumbis, quibus Matthæus mirificè delectabatur, illito, ſuſtulerunt. *Jovius in vita Matth.*

Barnabas Vicecomes, à Joanne Galeacio patruele captivus factus, & in Tritianam arcem à ſe ædificatam deductus, ſeptimo carceris menſe, cùm regnaſſet annos triginta, vixiſſet F ſexaginta ſex, veneno faſeolis indito, ut fama tum fuit, extinguitur: eò quidem æquiore animo tolerata calamitate, quòd in manibus Donninæ Porræ adamatæ anteà concubinæ, in ipſa extrema vitæ ſorte non planè miſer, expirarit. Hæc calamitatis ultrò conſors ſupremum in tantis ærumnis miſero ſeni ſolamen attulerat. *Jov. in Barnaba.*

Potu.

Cùm Veneti, duce Vitali Michaele, contra Emanuelem Conſtantinopolitanum Imperatorem claſſem inſtructiſſimam miſiſſent, Emanuel ſceleratiſſimus Princeps in Chio inſula, compoſitionis ſpecie, Venetos detinuit, & illic fontes, & flumina veneno infecit Magna igitur pars exercitus amiſſa, & univerſa Juſtiniana familia nobiliſſima extincta, cùm ex ea omnes, qui per ætatem arma ferre poterant, ad id bellum exiviſſent. *Sab. l.7. Dec.1. P. Marcel. in vita Vital.*

Occa Angloſaxonum Rex, Uterum Britannorum Regem in VValiam fugavit. Illic dum febre correptus æſtuaret, limpidæ aquæ hauſtu è proximo fonte, quam quidam Saxo ad id ſubornatus toxico infecerat, eſt extinctus: poſteàquam Britannicarum rerum potiri inceperat, anno decimo octavo, Chriſti 522. *L. Boeth. cap.9.* G

Mercatores duo non longè ab urbe Tholoſana, interim dum pararetur prandium, in hoſpitii hortum deambulandi cauſa progreſſi, folia ſalviæ legerunt, eaque, ut lecta fuerant, in vinum ſuum merſerunt. Nondum pranſi erant, cùm illis repentina vertigine prehenſis totum diverſorium ſuſque, deque verti viſum eſt, tum occœcati in ſyncopem lapſi ſunt, obortis per intervalla convulſionibus interruptam. Cæterùm labris, linguaque nigricantibus balbutiebant, aſpectu torvo, & horrido, cum effreni vomitu, ſudore frigido, mortis quæ mox illis in altum tumorem toto corpore ſublatis, contigit, prænuncio. Cùm de veneno ipſis exhibito juſtitiæ ejus municipii cuſtodibus injecta eſſet ſuſpicio, manus in hoſpicii dominum, omneſque convivas injectæ ſunt. Quæſtione habita, conſtanti, & una voce ſinguli reſponderunt: Iiſdem mortuos illos cibatos, potionatoſque, quibus & reliqui hoc uno excepto, quod ſalviam vino ſuo non affundiſſent. In hortum veniunt, ſubterraneum foramen ad ſalviæ radicem inveniunt totum bufonibus diſſertum, qui inſtillata aqua tepida illecti, fidem fecerunt, venenum à ſe in plantam illam, & ſaliva, & urina illatum fuiſſe. H

Pharmaco.

☞ *Vide Tit. A medicis necati.*

Conſtantinus Magnus Imperat. jam ſenex, Perſis Meſopotamiam diripientibus bellum indixit, parataſque ad hoc opus copias eduxit, claſſeque tranſvexit. Ipſe Sotiropolim urbem petiit, quæ Pythia anteà vocata eſt, ut aquis calidis ſenile corpus foveret, viribus pro ætate conſervandis. Priuſquam ſe ablueret, medici pharmacum dedere: miniſtri corrupti pretio ab affinibus, nocua immiſcuere. Ille intrepidus poculum ebibit: pòſt paulò incidit in morbum, quo ingraveſcente, ductus eſt in villam publicam prope Nicomediam, ibique mortuus eſt, cùm vixiſſet annos 66. ac imperaſſet 32. *Cuſp.*

Balduinus III. Rex Hieroſolymorum, Antiochiæ ante ingruentem hyemem pro more pharmaco quodam uſus, cui venenum

nenum immixtum credebatur, dyſenteria, & febri correptus, interiit (pharmaci certè reliquum cani porrectum, enecavit) anno regni 24. Salutis 1163. *Tyrius.*

SS. Euchariſtia.

VICTOR tertius, Gregorii VII. Succeſſor, veneno calici primæ Miſſæ mixto periit. *Malmesbur. lib.3. cap.39. & Volat. lib.22.*

HENRICUS Lucelburgenſis Imper. exacerbatus à Turrianis dum Guelfam factionem perſequitur, rebellium Florentinorum, & Senenſium terras ferro, igneque vaſtabat. Inſtabat beatiſſimæ Virginis dies, quo in cœlum ab Angelis aſſumpta eſt, quo ſolitus erat Cæſar, omnibus intermiſſis negotiis, rebus divinis vacare. Manè itaque poſt peracta ſolennia, cùm de more ſacroſanctam Euchariſtiam acciperet à fratre Ordinis Prædicatorum Bernardo ſexagenario, à Florentinis, & Roberto Siciliæ rege ſubornato, illicò incepit ægrotare. Ferebatur monachus ſub unguibus venenum habuiſſe, quo & hoſtiam, & calicem infecerat: moxque dehinc abiit. Invaleſcente morbo, Cæſari conſulunt proceres, ut Piſas reducatur. Quibus reſpondit, ſe in ſervitio Dei eſſe, nec aliò profecturum. Itaque Beneventum defertur, ubi animam Deo reddidit, Anno imperii quinto, Chriſti 1313. Piſas delatus, ac ſepultus eſt. *Cuſp. & Volat. l.23.*

Illitu. Contactu.

CALPHURNIUS BESTIA Romæ Uxores aconiti contactu dormientes interficere ſolebat. *Plin.27. cap.3.*

NESSUS Centaurus ſtuprum Deianiræ, Herculis uxori, illaturus, ab Hercule ſagitta conficitur. Qui ubi vim graſſantis veneni in ſe ſentire cœpit, Hercule in Eveni trajecti occupato, Deianiræ perſuadet, amatorium virus ſuo cruori ineſſe. Fore igitur, ut ſi eo ſanguine, quo Herculis ſagitta eſſet illita, mariti interior inungeretur tunica, ſi quando eam maritus induiſſet, nullam amplius eſſet puellam, præter eam, quæ dediſſet, amaturus. Non multò pòſt Hercules facturus ſacra in Cineo monte, ad uxorem Deianiram mittit, ut ſibi veſtem, qua in ſacris uti conſueverat, tranſmitteret. Deianira per Lycam de Joles pellicatu certior facta, tunicam concreto Neſſi ſanguine, in hunc uſum aſſervato, illinit. Quam Hercules indutus, veneno tactus, & intolerandis doloribus victus, Lycam primò interfecit: dein conſulto oraculo, ſeipſum in Oeta monte, extructa pyra, exuſſit. *Sab. l.8. Enn.1.*

Cùm Manuel Comnenus Græcorum Imp. Hunnis Stephanum (cui Mariam ex fratre neptem uxorem dederat) Saxæ (ſeu Geiſæ) Pannoniæ regis fratrem, vellet obtrudere regem: Hunni per miniſtrum quendam ejus, Thomam, largitionibus corruptum, venenum illi propinarunt. Is enim, cùm fortè Sthepanus venam incidiſſet, veneno ictum inunxit: quod in totum corpus diffuſum, correptis vitalibus, hominem celeriter confecit. *Nicet. l.4.*

OTHO II. Imp. victus turpiter à Græcis, à Piratis captus, & redemptus, ut ignominiam, fugamque ulciſceretur, collectis diſperſi exercitus reliquiis, Beneventum incendit, urbemque vaſtavit. Sed dum incautè nimis Græcos, atque Saracenos perſequitur, ſagitta venenata vulneratus, Romam rediens, poſt paucos dies diem ſuum obiit, decimo Imperii ſui anno, in porticu baſilicæ S. Petri, labro porphyretico ſepultus.

OTHONI III. Imp. uxor Creſcentii Romani conſulis (quem ut ſeditioſum interfici juſſerat) xenii prætextu dono dedit chirothecas veneno litas, in pignus amoris. ☞ *Vide titulum ſuperiorem §. chirotheca.*

LADISLAUS Caroli F. rex Neapolitanus, pacem Florentinis anno 1417. dedit ea lege, ut virginem formoſiſſ. omnium indigenarum in uxorem ſibi darent. Pater virginis mendicus filiæ pudori metuens, pannum venenatum; quo in geniali thoro regem abſtergeret, tradidit. Quo illa parùm cautè uſa, & regi, & ſibi mortem accerſivit. *Challoc. l.5.*

UNDE SUMPTO. Ubi ſervato. In

Annulo.

CN. POMPEII tertio Conſulatu, duo millia pondo auri è Capitolini Jovis ſolio ſurrepta periere; à Camillo ibi condita. Ædituus cuſtodiæ ejus comprehenſus, fracta in ore annuli gemma, ſtatim expiravit, & indicium ita extinctum. *Plinius lib.33. cap.1.*

ANNIBAL, Amilcaris filius, dux Carthaginenſium, poſt L. Cornelium Scipionem, patrem Scipionis majoris, ſuperatum, Sempronium ad Trebiam, C. Flaminium ad Thraſymenum magnis cladibus affectos, P. Æmilium apud Cannas cum toto exercitu deletum, Claudium Marcellum occiſum: à Scipione juniore poſtremò victus, & fugatus, ad Antiochum primùm, deinde ad Pruſiam Bithyniæ regem confugit, ubi ſeptem occultos exitus è domo confecerat, ne à quopiam intercipi poſſet. De cujus fide dubitans, quoniam videbat Flaminium legatum à Romanis miſſum, ac ſe paulatim à militibus circumſeptum, venenum (quod in annulo gerebat) hauſit.

Calamo.

DEMOSTHENES orator Athenienſis, ex Demadis decreto mulctandus capite fugiens in Calabriam inſulam Ægei maris, in templo Neptuni ab Archia Tyrio actore tragœdiarum, Antipatri (qui Alexandro ſucceſſit) ſatellite, cùm deprehenſus eſſet, ſumpto calamo, quaſi priùs litteras ad Antipatrum ſcripturus, venenum illic incluſum exhauſit, ſtatimque moribundus cecidit. *Cælius l.7. c.13. A.L.*

Circo.

Scribit Eratoſthenes, Demoſthenem in crico pertuſo, quod eſſe brachii geſtamen quidam interpretantur, præſidio ultimorum caſuum, conſueſſe venenum geſtare incluſum, quod etiam hauſerit intrepidè, ne quid indignum tanta virtute à Macedonibus pateretur. Hinc natum, ut quod ſpeciem quidem habet extrinſecùs, & oculos aſpectu jucundo allectat, intus verò perniciem ſervat evidentiſſimam, Cricum dicamus Demoſthenis, *Idem.*

Cneſtide.

CLEOPATRAM in cneſtide concava, crinibus implexa, occultaque, venenum habuiſſe, produnt nonnulli. Cneſtidem, ſunt, qui laminulam interpretentur. *Cæl. l.8. c.23. A.L.*

QUO EFFECTU. Veneno confecti.

Tardo, lento, tabifico.

ALEXANDER VI. Pont. Gemem Othomannum, Bajazetis II. Turcarum regis fratrem, quem paulò antè Carolo VIII. Galliæ regi tradiderat, lento veneno ſuſtulit, lethifero pulvere, ſaccaris, quibus Turca poculis omnibus uteretur, miſto. Is erat pulvis ad fallendum candore mirabili, nec injucundo admodum ſapore, qui non acriore vi protinus, ſicuti præſentanea venena, ſpiritus vitales opprimeret: ſed ſenſim venis illabendo exitiabili tarditate graſſaretur: Quo poſteà Alexander opulentos aliquot ſenatores, & poſtremò ſeipſum incautè mutata lagena, ſuſtuliſſe ferebatur. *Jovius lib.2. Hiſt.* Ejus mors à Pontifice procurata fuiſſe credita eſt: ſive quòd eum invitus regi conceſſiſſet, atque idcircò ſe libris auri quadringentis, quas quotannis à Bajazete acciperet, privaſſet: ſive quod Caroli gloriæ invideret, metueretque, ſi fortè adverſùs Turcas res ei proſperè cederent, mox ſuas cogitationes ad ipſum converteret. Nec defuere, qui crederent, Bajazetem, cognito regis Galliæ in Italiam apparatu, per Georgium Pucciardum, Pontificem pecunia corrupiſſet, ut Gemem vita privaret. *Guicciard. l.2.*

Veloci.

Omnium venenorum ocyſſimum eſt aconitum, ita ut tactis quoque genitalibus feminini ſexus animalium, eodem die inferat mortem. Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes à Calphurnio Beſtia Uxores, M. Cæcilius accuſator objecit. Hinc illa atrox peroratio. Ejus in digito mortuas. *Plinius l.27. c.2.*

QUI VENENO PERIERE.

Prophetæ.

MAHOMETES Pſeudopropheta pluribus bellis geſtis, aliis ſecundis, adverſis aliis, poſtquam annos in ſuis erroribus, ac ſceleribus vixiſſet 40. veneno periit à domeſticis dato in Arabia, per Gardigenæ uxoris cognatos, & ſuum quendam conſobrinum. *Cuſp.*

PONTIFICES.

Fuere, qui exiſtimarent, Leonem X. Pontificem indito poculis veneno fuiſſe ſublatum: nam cor ejus atri livoris maculas oſtendit, & lien prodigioſæ tenuitatis eſt repertus; quaſi peculiaris, & occulta veneni poteſtas totum id viſceris exediſſet. Ob id conjectus eſt in carcerem Barnabas Malaſpina miniſter à poculis, non obſcuro indicio, quòd Leonem, pridie quàm decumberet, in cœna poſt hauſtum vini calicem, ſtatim obducta, & triſti fronte ab eo quæſiviſſe conſtabat, undenam ſibi adeò amarum, & inſuave vinum propinaſſet. Adauxit quoque patrati ſceleris ſuſpicionem, quòd ipſe ſub auroram, cùm ſeptima noctis hora Pontifex expiraſſet, ſpecie venandi cum canibus Vaticanam portam exiviſſet, adeò ut à prætorianis uti fugitivus caperetur: his ſcilicet admirantibus diſſolutum hominis ingenium, qui intempeſtivas abſque ullo pudore, quæreret voluptates, cùm tota aula, extincto beneficentiſſimo domino, in lachrymis, & luctu verſaretur. Sed Julius Medices inſigni prudentia de veneno quæſtionem haberi vetuit, ne in nomen alicujus magni principis inexpiabili cum invidia quæreretur. Sed qualiſcumque Malaſpinæ animus fuerit, temerè non affirmaverim: is certè poſt nonum annum alterius ambigui criminis reus, quaſi reſervata à Cælo in eum diem impii flagitii pœna, Mediolani capitali ſupplicio punitus eſt. Sunt & qui potiùs crederent, venenum pilulis ex aloe, quibus per hebdomadam ad ſubducendam alvum utebatur, ſumptum fuiſſe decepto ſcilicet Serapica cubiculario, qui eas in loculo, uti ad frequentem uſum, negligentiùs ſervare conſueviſſet, nam biduo, antè quàm Leo moreretur, Lesbius, abaci præfectus, nullo concepto morbo interiit, cùm duas ex his pilulis de more ad tuendam valetudinem fortè ſumpſiſſet. *Jovius in Leone X. lib.4.*

Cardinales.

JOANNES CORNETANUS, patriarcha Alexandrinus, quem alii Vitellicum appellabant, quòd contra Florentinos cum Philippo duce, invito pontifice Eugenio quarto, conſpiraſſet, per inſidias captus in tranſitu pontis, ac in Hadriani mole cuſtoditus, ab Antonio Rido Patavino, arcis præfecto, veneno ſublatus eſt. *Volater. l.22. Anth.*

Reges, Imperatores, Principes.

ARIAPSES, Artaxerxis Mnemonis Perſarum regis F. ex inani terrore paternæ indignationis, Ocha fratre per regis cubicularios illud ſubornante, venenum bibit. *Plutarch. in Artaxerxe.*

DIOCLETIANUS Imperator Nicomediæ, ſeu (ut nonnullis placet) Salonæ in patria veneno ſublatus eſt, cùm vixiſſet annos 74. imperaſſet 20. *Volat. l.23. Anthrop.* Alii à Licinio, & Conſtantino graviter litteris objurgatum, quòd Maxentio diceretur faviſſe, metu ignominioſæ mortis, ſua ſponte venenum hauſiſſe teſtantur. *Aurelius.*

L. VERUS Imper. Altini periit, in Pannoniam profecturus. Fuit ejus mors ſuſpecta, quaſi veneno à Fauſtina oſtreis indito perierit, quòd ille parum occultum habuiſſet inceſtum, quod cum ea feciſſet, ſed Lucillæ conjugi ſuæ, quæ Marci, & Fauſtinæ erat filia, retexiſſet: quæ fama non multum à Fauſtinæ vita abhorret. Eſt & Marcus ea infamia aſperſus, quaſi ipſe, non alius, in vulva ſuilla venenum dederit, collegæ vitam, fœtidiſſimoſque mores pertæſus. Capitolinus Marcum crimine abſolvit, ſanctioris vitæ argumento adductus. *Sab. l.5. Enn.7.*

MARTIANUS Imperator quamvis Attilæ, atque Zenonis Iſauri pluriumque inimicorum exitus infelices vidiſſet, ipſe felix tamen non diù vixit. Nam anno ſexto, & menſe ſexto ejus imperii, naturæ conceſſit, conſpiratione Aſparis, qui ei venenum perhibetur dediſſe. Qua de cauſa poſt creationem novi Principis, cùm filius Aſparis Ardaburius Cæſar eſſet à Leonte pronunciatus, populus juſta vindicta patrem interfecit cum filio. *Cuſp.*

ROMANUS Junior Romani Lacapeni Imp. ex filia nepos, anno imperii 13. ex veneno periit. *Volater. l.23. Anth.*

ANTHARIS, Longobardorum Rex, Theodelidæ maritus, cùm ſex regnaſſet annos, inſidiis domeſticorum apud Ticinum extinctus eſt venenato poculo, Nonis Septembris. *Paul. Diac. l.4. de geſtis Long.*

CAROLUS CALVUS Imp. ex Italia revertens, cùm Alpes attigiſſet, repentina febri corripitur, & ex Sedechiæ Judæi medici ſibi dilecti ſententia, præſentis remedii gratia pulverem quendam mortiferum hauſit, atque inde Ciniſium montem aſcendere cœpit. Ubi verò ad locum, qui Brios dicitur, venit, ingravaſcentis morbi magnitudine, & veneni ſævitie conflictatus, Richildem uxorem, quæ apud Mauriennam erat, accivit, atque in ejus complexu undecimo die, pridie Nonas Octobris animam efflavit, anno 877. *Sigon. l.5.*

LUDOVICUS BALBUS, cùm biennio cum Carolo Craſſo fratre ſuo imperaſſet, veneno ſublatus eſt.

ARNULFUS Imp. contra Guidonem ducem Francorum cum multis copiis Longobardiam ingreſſus, Pergamum urbem cepit, & comitem ejus Ambroſium de laqueo ad portam ſuſpendit. Ea re territæ cæteræ urbes, deditionem fecerunt. Pauló poſt Romam à Pontifice Formoſo accerſitus propter ſeditionem civium, expugnatis muris eam cepit, & hoſtes Formoſi capitali ſupplicio affecit. Poſteà contra Guidonem movit. Sed eo fuga elapſo, uxor ejus obſeſſa corrupit miniſtros Imperatoris, qui poculum veneno infectum ei præbuere: unde lethargo correptus, poſt triduum periit, anno Domini 901. *Sigebert.*

BAMBA Hiſpanorum, ex hauſtu veneni, quod ab Etyngio Reccisvindi opera datum, rumor eſt, incidit in graviſſimum morbum, & ex eo tandem periit. *Ritius Neap. l.2. Reg. Hiſp.*

SANCTIUS I. Hiſpanorum Rex, ab habitu corporis cognomento Craſſus, à pinguedine ad maciem herbæ auxilio, deductus, haud multò pòſt exceſſit, non ſine dati veneni ſuſpicione. *Ritius l.2. Regum Hiſp. prope finem.*

CHILDEBERTUS à Guntramno Aurelianenſium rege adoptatus, atque regni hæres declaratus, hauſtu veneni periit. *Michael Ritius l.1. de Reg. Franc.*

LUDOVICUS Bavarus Imp. cùm ad menſam haberet Burgravium de Nurenberga, qui illum familiariter ſolebat adire, ſenſit ex more veneni punctiones. Crebriùs enim hac arte tentatus, ad vomitum ſe provocans, evaſerat periculum: Sed tum vomitus prodeſſe non poterat, ſuperante vi toxici. In venationem progreſſus, ut incaleſcente corpore, venenum ſuperaret, cùm urſum ſequeretur, equo delapſus, graviter læſo corpore, brevi pòſt efflavit ſpiritum tumulatus Monaci. *Cranzius lib.9. Sax. c.11.*

LADISLAUS, Ungariæ, & Boemiæ rex, dum Pragæ Magdalenam, Caroli Francorum regis F. ſponſam expectat, vel peſte vel veneno XXXVI. horarum ſpatio periit, ætatis ſuæ XXII. Fama vulgatum eſt, regem Huſſitis infenſum, nuptiarum celebrationem conſultò Pragam tranſtuliſſe, ut confluentibus eò ſub ſpecie nuptiarum principibus Catholicis, Huſſitas circumventos opprimeret. Id præſentientes Joan. Rochezana Huſſitarum Epiſcopus, & Georgius Poggiebracius regni adminiſtrator regem veneno necarunt. *Æneas Sylvius in hiſtor. Boem.* plura ſe ſcribere, quàm credere ait. Dira quidem tormina ſenſit moriens: & Medici Germani poſteàquam Boemia exceſſerunt, vulgarunt, non obſcura veneni hauſti ſigna in eo apparuiſſe. *Cromer. l.23. Bonfin. l.8 Dec.3.* Medicos regem de veneno aſſumpto monuiſſe ſcribit, illumque reſpondiſſe, tacerent, ne unà cum ſuo rege necarentur. Senatus Viennenſis edicto graviſſimo, ne Boemicam in ſe ferociam irritaret, eam famam cohibuit, Medicos admonuit, ne ſua dicta confirmarent.

CAROLUM IIX. Gallorum regem, conſtans fama eſt, atque etiam *Volaterranus* ſcribit, veneno ſuffocatum. Quod à veritate non abhorret, cùm in ſphæriſterio præter ſpem, ac nihil ſibi timens, exanimatus propè concidiſſe, ac pauló pòſt expiraſse dicatur.

FRANCISCUS rex Galliæ anno 1536. Franciſcum Delphinum filium, hæredem regni, & nominis deſtinatum, repentino oppreſſum morbo amiſit. Nec defuere, qui ſuſpicarentur, eum veneno fuiſse ſublatum. Cujus nefarii criminis repentè reus factus quidam Sebaſtianus Montecuculus pœnas dedit, cùm ab equis in compito in diverſa currentibus diſcerperetur. Nonnulli præcipiti judicio eum damnatum ferebant, tanquam inſontem, qui dolore victus inter immania tormenta, ut calamitati ſuæ finem imponeret, ſe reum miſer fecifset, & auctores tanti facinoris Antonium Levam, & Ferdinandum Gonzagam Cæſarianos duces nominaſset. Qui obruti tantæ infamiæ nomine, calumniam temerè impoſitam anxiè diluere contendebant. Cùm nonnulli Delphinum ex nimia jactatione, ludo parvæ pilæ æſtuantem, ſudoreque madentem, frigidam intemperanter hauſiſse prædicarent (nullis præſertim apparentibus veneni indiciis) quando præcordia, viſceraque eo immodico rigore correpta, extincto penitùs innato calore, mortem accerſierint. *Jovius l.35. Hiſt.*

Legati.

Ægyptii, cùm viginti Legatos Romam miſiſsent, ut Ptolemæum regem, regno à ſubditis exutum accuſarent: rex per inſidias omnes, & Dionem inprimis, qui ejus legationis princeps erat, & à quo conſtabat ſe accuſatum iri, veneno clàm necavit *Dion. Nicæus in Pompejo.*

GERMANICUS, Caii Cæſaris pater, conſul iterùm creatus, ac priùs quàm honorem iniret, ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cùm Armeniæ regem devicifset, Cappadociam in provinciæ formam redegiſset, annum ætatis agens quartum, & trigeſimum, diutino morbo Antiochæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter livores, qui in toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremari quoque cor inter oſsa incorruptum repertum eſt: cujus ea natura exiſtimatur, ut tinctum veneno, igne confici nequeat. *Suet. in Caligula.*

GERARDUS ANDRIANUS Mediolanenſis, ab Eugenio quarto Cardinalis creatus, & legatus per Lombardiam, à Philippo Vicecomite, ſuſpectam habente ejus potentiam, Viterbii veneno cum 18. comitibus ſublatus eſt. *Garimbertus lib.4. de Vitis Pontificum.*

Philo-